



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXIX. De Officio & Potestate Judicis Delegati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



TITVLVS XXIX.

De Officio & Potestate Judicis Delegati.

Vices alienas ex commissione Vicarius in eodem: Delegatus sive, ut c. De ceteris 5. de Transactionibus vocatur, Extraordinarius iudex, vulgò Commissarius, in diverso tribunali, & non ita generaliter gerit.

Est autem iudex Delegatus, qui non ex munere proprio, sed ex commissione, sive ipsius Juris, sive alicujus hominis, immediate, aut saltem mediate facta; ac proinde non suo jure & nomine, sed vice atque autoritate ipsius committentis, l. 1. §. 1. Et l. Etsi prator 3. ff. de Officio ejus, cui mandata Et. jurisdictionem ab isto derivatam & distinctam exercet: quæ postrema verba à Molina *Tract. 5. de l. Et l. disp. 14. n. 1.* traditæ, & ab aliis DD. receptæ, definitioni addit Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 1.* juxta quam definitionem

ARTICULUS I.
Quid & Quotuplex sit iudex Delegatus?

SUMMARIUM.

1. Delegatus quis?
2. Ejus differentia à iudice Ordinario,
3. Arbitro Compromissario,
4. Et Vicario generali.
5. Delegatus alius est Hominis,
6. Ique vel ad causas particulares, vel ad istarum universitatem:
7. Alius ipsius Juris:
8. Cujus jurisdictio non, ut aliqui volunt, Ordinaria
9. Sed verè delegata est:
10. Licet à Canone descendat, & perpetua sit,
11. Ad Papam appellatur ab Episcopo Juris delegato:
12. Cujus jurisdictio sede vacante ad Capitulum non transit.

Differt iudex Delegatus, in primis ab Ordinario; quia iste jurisdictionem ex proprio aliquo munere sive officio & non, ut Delegatus, alienò, sed ferè suò jure & nomine proprio exercet, l. *Morre 5. ff. de Jurisdic.* ubi Gloss. *V. Suo jure.* Inter hos iudices intercedentes variaz differentiaz statuuntur infra *Tit. 32. à n. 6.*

Deinde ab arbitro Compromissario; quia iste, non ab alio & iudice Ordinario derivatam, sed à partibus compromittentibus acceptam, non propriè dictam jurisdictionem; cum ista tantam potestas publica à privatis dari non possit, l. *Privatorum 3. C. de Jurisdic. omn. jud.* sed simplicem tantum causæ cognitionem.

cognitionem habet, Molina *eract. cit. disp. 23. n. 10.*

4. Denique à Vicario generali; etsi enim etiam iste alienas Episcopi vices gerat, jurisdictionem tamen multò quam delegati latius, scilicet ad omnia, quæ jurisdictionis Episcopalis sunt, & speciale mandatum non exigunt, se extendentem: & non ab Episcopi constituentis jurisdictione distinctam aut diversam, ut delegatum, sed ipsam illius, & in ipsa Curia & tribunali Episcopali exercendam habet, *c. Non putamus 2. de Consuet. & c. Romana 3. de Appell. utrobique in 6. ut dictum Tit. preced. n. 34.* Quæ causa est, cur non, sicut à delegato ad delegantem istiusque successorem, *l. 1. junctâ Gloisâ V. Et successorem l. fin. ff. Quis & à quo Appell. & c. Super 27. §. Porro hic*, sic etiam ab hujusmodi Vicario ad Episcopum, sed istius superiorem, Curiam scilicet Archiepiscopalem, sit appellandum, *c. Non putamus & c. Romana cit. Gaill. Lib. 1. Observat. 41. n. 8.*

5. Porro Delegati judices varii sunt; quidam enim delegati sunt ab homine, scilicet judice Ordinario: eoque vel supremo Ecclesiastico, ut est Summus Pontifex, vel seculari, ut sunt Imperator, Rex, vel alius Princeps aut Magistratus, Superiorem in temporalibus non recognoscens: vel ab Inferiore, ut sunt, qui ab Episcopo vel alio simili Prælate Ecclesiastico vel à Principibus aut Magistratibus Secularibus, Imperatori, Regi &c. subjectis, delegantur.

6. Hujusmodi sive ab homine & judice Ordinario delegatis aliquando una tantum, vel etiam plures particulares & numero certæ, v.g. tres, quatuorve aut etiam decem causæ, inter certas personas vel in certo territorio motæ, committuntur: sicut contingit, si causæ decimarum inter monasterium & Ecclesiam paro-

chiam, juris patronatus inter nobilitatem familiam & aliquam communitatem, feudalem vel matrimonium inter Titium & Bertham &c. controversæ & in iudicium deductæ alicui delegentur, Baldus in *l. Solet 16. ff. de Jurisdic. n. 1. g. 2.* & Socinus in *l. More cit. n. 42.* Aliquando verò tota causarum universitas sive causæ sub una collectione & genere habentur, no contentæ committuntur cum aliqua restrictione ad quantitatem, locum, vel tempus: sicut contingit, cum alicui delegentur causæ Matrimoniales, Beneficiales, Decimales, Juris patronatus alicuius diocesis, vel causæ mutui, vel generum pecuniariæ decem, viginti, aut centum librenos non excedentes, vel intra annum aut annum in iudicium deducenda, Bartolus in *l. Legatum 12. ff. de Offi. Provisul. n. 4.* Baldus *cit. n. 1.* & Socinus in *l. More cit. n. 38.* Ad causarum universitatem delegatis Bartol. *cit. n. 4.* tamen sine hæsitacione accenset cum, cui omnium causarum inter Titium & Caium controversarum pertractationem committeretur; quòd non appareat ratio commissio generis causarum, ad certam quantitatem locum vel tempus restrictarum, delegatum ad causarum Universitatem constituat: & talem delegatum non constituat commissio causarum, restrictarum ad certas personas. Verum, quia commissio generis causarum restricta ad certam quantitatem locum vel tempus multò latius patet & plura negotia & causas comprehendit, quam restricta ad certas personas, ad has restricta causarum commissione non, ut commissione restricta ad certam quantitatem, locum vel tempus, delegationem ad universitatem causarum, sed ad istarum generalitatem induci, cum Baldo *cit. n. 1. g. 1.* Socino in *l. More cit. n. 41.* & Saliceto in *l. A iudice 5. C. de Judiciis n. 3.* & aliis causet

enfer Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 31. n. 4.* At, esto hoc ita se habeat, quando inter certas personas saltem privatas jam exortæ causæ generatim committuntur; quòd hæc quoad numerum determinatæ & plerumque pauca sint, casu tamen, quò inter certas personas non solum jam exortæ, sed quæcunque etiam nascituræ causæ alicui committuntur, hunc ad causarum Universitatem delegatum constitui verisimilius est; quòd sub tali commissione causæ augmentum recipere valeant & diminutionem, & plures suscitari possint, quàm comprehendantur commissione certi generis causarum, ad certam quantitatem, locum, vel tempus restrictâ, ut in *l. Legatus cit. advertit Orosius n. 10. & 11.*

7. Alii delegati sunt à Jure sive ex commissione ipsius legis vel canonis; sic enim ex Juris commissione sacerdotes quicumque quoscunque, in articulo mortis constitutos, absolventi potestatem habent, Trident. *Sess. 14. cap. 7.* ut cum SS. Doctoribus Angelico & Seraphico *disp. 19. q. 1. art. 3.* docet Suarez in *3. p. disp. 26. l. 4. n. 7.* sic etiam Episcopi in multis casibus, aliàs sedis Apostolicæ reservatis, contra Ecclesias, monasteria aliâque loca & personas Ecclesiasticas exemptas procedunt, *c. Irrefragabili 13. §. Ceterum de Offic. Ordin. c. Ad abolendam. q. in fine de Hæret. c. 1. §. fin. de Statu Regul. in 6. Clement. Unic. de Supplend. neglig. Trident. Sess. 6. cap. 4. de Reformat.*

8. Non desunt DD. qui cum Beroio in *presentem Rubric. n. 57.* & Lotterio de *Re benef. lib. 1. q. 25. n. 92.* Episcopum respectu hujusmodi casuum Ordinariam jurisdictionem habere existiment, partim; quòd ista descendat à Lege, sive dispositione Juris Ecclesiastici, casus illos ipsi subjicientis, siquæ perpetua; ac

proinde locum habeat arg. à contrario ductum ex *l. Et quia 6. ff. de Jurisdic. jurisdictionem*, quam ipsa lex non defert, habente pro delegata: partim vero; quòd ejusmodi casus, antequam per privilegia exemptis indulta sedi Apostolicæ reservarentur, jurisdictioni Episcopi Ordinariæ fuerint subjeçti; cum de Jure, quæcunque Papa in toto orbe, Episcopi in suis diocesisibus possint, nisi specialiter reservata reperiantur, ut ex *c. Nuper 29. §. In secundo V. Quia tamen, de Sentent. excom. & c. Cum Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6. DD.* passim desumunt. Cum ergo, reservatione per Juris delegationem sublatâ, casus illi ad primævum statum revertantur, sicut antequam reservarentur, sic etiam reservatione sublatâ ad jurisdictionem Episcopi ordinariam spectabunt, arg. *l. Si unus 27. §. 2. in fine ff. de Pænis*; quòd confirmatur exemplo parochi, ligati censurâ ideòque penitentes à peccatis absolvere non valentis; qui à censura absolutus ex pristina & ordinaria, non ex nova ab absolvente accepta, potestate peccata penitentibus remittit, Felinus in *c. Cum ex Officii 16. de Prescript. n. 32.*

Sed melius Episcopi jurisdictionem, respectu ejusmodi casuum solummodo delegatam esse, cum Panorm. in *c. Ad abolendam cit. n. 15.* & Decio ad *hanc Rubric. n. 6.* defendunt Pavinus de *Potest. Capit. Sede Vac. p. 1. q. 10. n. 3.* & duo Barboas Petrus in *l. Cum Prator 12. §. 1. ff. de Judic. n. 32.* Augustinus de *Offic. Episc. alleg. 92. n. 3.* Ratio est; quia solummodo delegatus censetur iudex, cui jurisdictionis non jure officii sui aut habitâ ratione ad illud, sed ex speciali tantum commissione competit ita; ut ratione istius totam habere videatur, per ea, quæ cum Baldo in *l. Præcipimus 32. C. de Appellat. n. 1.* tradit Menoch, de

noch. *de Arbitr. lib. 1. q. 12. n. 4.* Episcopis autem in ejusmodi casibus Jure, tam Decretalium antiquiore quam Novissimò S. Synodi Tridentinæ, jurisdictio non competit ratione officii, sive muneris sui Pontificalis, sed ex speciali commissione, ut clarè satis insinuant ipsa Jura, Episcopis concedentia, ut in iis *Authovitate Apostolicâ, tanquam à Papa vel sede Apostolica delegati* &c. §. *Ceterum* &c. *Ad abolendam cit.* imò ut, *Etiã tanquam sedis Apostolicæ delegati, Etiam auctoritate Apostolicâ,* procedant, Trident. *Sess. 6. cap. 4. & Sess. 22. cap. 10. de Reformat.* quò loquendi modò S. Synodus insinuat, eos tam delegatâ quàm Ordinariâ potestate procedere posse; quia dictio *Etiã* ex natura sua implicativa est, unumque casum ita exprimit, ut alium diversum includat, secundum Glossam in *Clement. 2. V. Ecclesie de Hæret. & tradita à Barbosa Dist. Usufreq. 112. à n. 1.* Quod Tridentinum insinuat, disertè exprimit Bonifacius VIII. *c. Unic. §. fin. de Statu Regular. in 6.* ubi Episcopis præcipit, ut clausuram in monialium Monasteriis sibi subjectis, *Suâ:* id est, Ordinariâ: in exemptis verò *Sedi Apostolicæ* delegatâ auctoritate procurent, & *Clement. Unic. de Suppl. neglig.* ubi iidem inferiorum Regularium in beneficiorum collatione negligentiam, si illi non exempti, *Suâ:* si exempti sint, *Apostolicâ auctoritate,* supplere jubentur.

10. Rationes in contrarium deductæ speciem majorem quàm vim habent. Prior; quia jurisdictionem delegatam, etiam à Lege seu Canone descendere posse, patet ex *l. 1. ibi, Lege vel Senatus consulto delegatam, ff. de Offic. ejus cui mandata:* quod fit, si à Lege non sub ratione officii, sed per modum specialis commissionis tribuatur, ut in *l. cit. Bruneman, n. 1. & ante ipsum Bartol. in l.*

More cit. n. 8. adnotarunt. Quòd verò proposita Episcoporum, & universim à lege descendens jurisdictio perpetua sit, non provenit ex eo; quòd Ordinaria sit sed; quòd lex sive canon delegans nunquam moriatur, *c. Si graviorè §. de Do. scrip. in 6. & l. Arriani §. V. Canon. de Hæret.* Posterior, partim; quia Episcopi potestatem in sua diocesi ad omnia specialiter non reservata porrigentium dogma à vero alienum esse ostendunt *Tit. 31. à n. 81.* partim verò; quia, licet casus antequam reservarentur, Ordinariæ jurisdictioni subjecti, reservatione sublatâ, ad Ordinariam jurisdictionem revertantur, quando sub ratione officii vel simpliciter subijciuntur, ad illam tamen non revertuntur; cum non ita, sed per modum commissiois, sive cum clausula, specialem commissionem sive legationem significante, subijciuntur, *c. Cum aliquibus §. in fine de Rescrip. in 6. & c. 1. junctâ Glossâ V. Auctoritatem Clerico agrot. in 6. Bartol. & Menoch. l. cit.* Unde

Inferuntur duo: & primò quòd in casibus, quibus Episcopus præcise hujusmodi specialis commissionis procedat, ab ipso, non ad Archiepiscopum, sed ad sedem Apostolicam, tanquam delegantem, appellandum, *c. Super questionum 27.* cum Episcopus, quantus sedis Apostolicæ delegatus est, Archiepiscopo sit major, *c. Sanè 11. Panorm. in c. Ad abolendam cit. n. 16.* Secundo, jurisdictionem, Episcopo præcise vi ejusmodi commissionis sive legationis competentem, sede vacante ad Capitulum non transire, ut cum eodem *n. 17.* & Garcia de Benef. p. 5. cap. 7. n. 17. tradit Barbosa *cit. alleg. 12. n. 17.* cum istud Episcopo non succedat in iis, quæ huic competunt jure speciali, *arg. 6. Verum 7. de Foro compet. ut ibi notat Panormit.*

Panormit. n. 9. *Precisè*, inquam; quia iis casibus, quibus Episcopi, tam ordinarià quàm delegatà potestate, procedere possunt, ab illis ad Archiepiscopum appellandum, in eisq; sede vacante Capitulum succedere, cum eodem Panorm. in c. *Ad abolendam cit. n. 13.* docet *sis. Barbosa n. 17.*

ARTICULUS II.

De personis Delegantibus,

SUMMARIUM.

- 13. Delegat quivis Ordinarius,
- 14. Et præcipuè supremus.
- 15. Delegatus non subdelegat,
- 16. Nisi sit Summi Principis:
- 17. Qui, etiam necessitate non exigente, validè subdelegat.
- 18. Papa etiam à Latere Legati
- 19. Et Proconsulis delegatus subdelegare nequeunt.
- 20. Id tamen possunt ab Inferioribus delegati ad Universitatem,
- 21. Saltem respectu causarum particularium:
- 22. Non etiam Parochorum Cooperatores & alii similes.
- 23. Ab iisdem delegati particulares ex delegantis concessione
- 24. Ejusque nomine,
- 25. Aut nudum tantum ministerium subdelegare possunt.

13. **R**egula generalis delegationem permittit iis, ad quos causarum cognitiones ac definitiones Jure Ordinario spectant; quæ desumitur ex c. *Cum Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6.* verbis, *Per se vel per*

alium, l. More 6. ff. de Jurisdic. Ec. Ut adeo in iis locum habeat Regula, *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum, quæ est 68. in 6.* Præcipuè autem, propter causarum ad ipsos devolutarum multitudinem, id solent Principes ac Magistratus Supremi, & omnium frequentissimè Summus Pontifex, partim; quòd, tanquam omnium Christi Fidelium judex ordinarius, de omnibus causis Ecclesiasticis judicandi habeat potestatem, *can. Cuncta 17. & can. fin. 9. q. 3.* unus autem omnibus, per se ipsum cognoscendis definiendisq; non sufficiat: partim verò; quòd Fidelibus ab urbe remotioribus nimis difficile & sumptuosum esset, ad causas suas agendas Romam proficisci, ut rectè advertit Vallenf. *ad hanc Rubr. §. 1. n. 2.* & Gonzalez *in c. Si pro debilitate 6 n. 7.* Hæc satis certa.

An autem delegandi potestas etiam delegatis competat, dubium reddere non una ratio videtur: & in primis quidem; quòd non habeat propriam, sed delegatus, mandantis, jurisdictione utatur, *l. Est Prator. 3. ibi, Partibus ejus fungens, ff. de Offic. ejus cui mandata & l. Solet 16. ibi, Vice ejus qui mandavit. ff. de Jurisdic. Ec.* & propterea judex Extraordinarius vocetur, §. *Spatium in fine post can. Inducia 3. q. 3.* ei autem, qui jurisdictionem non sub Jure sed alienò beneficio, ac proinde non propriam exercet, delegatio denegetur, *l. More cit.* Deinde; quòd, sicut in aliis commissionibus, sic etiam in delegatione eligi videatur industria ipsius personæ: ubi autem hæc eligitur, causa non possit aliis committi, *arg. c. & §. fin. Demum; quòd c. Si pro debilitate cit.* delegatis ipsius Papæ subdelegatio permittatur, *Si pro debilitate vel pro qualibet alia gravi causa vel necessitate tractandis causis, quæ*

G g g g 2 à sede

à sede Apostolica committuntur, interesse non possint. Unde, argumentò à contrario ductò, desinitur, cessante tali causa id ipsis non permittitur, *arg. c. fin. §. Vices in 6.* ubi iudicibus, qui Conservatores dicuntur, subdelegandi facultas negatur, etsi sedis Apostolicæ sint delegati, per Rubric. & textum *c. 1. in 6.*

Sed his rationibus, quamcumque veri speciem præferant, non obstantibus, delegandi potestas competit variis iudicibus delegatis & Primò quidem delegato Papæ vel alterius Principis supremi, *c. fin. hic c. Cùm causam 62. de Appell. l. A iudice 5. C. de Judiciis §. l. Unic. V. Hec teneant, C. Qui pro sua iurisdictione, qui, vel totam causam sibi commissam, vel ejus duntaxat articulum, aut partem, vg. citationem aut testium receptionem alteri subdelegare potest, c. Super 27. pr. c. Pastoralis 28. §. Item cum & Clement. Unic. pr.* Ratio est; quia summus Princeps, præsertim Ecclesiasticus sive sedes Apostolica, in commissione causarum & negotiorum istis potius quàm personis, quibus ea committuntur, providere, *c. fin. cit. & liti- bus finem, quàm potest, citò imponere intendit, c. Finem 5. pr. de Dolo: & propterea; ne propter varia delegatorum impedimenta, illa & hæ, magnò litigantium incommodò, diu protrahantur, ab illis causas & negotia, per delegationem Apostolicam sibi commissam, per subdelegationem in alias discretas & idoneas personas permittit transferri, Vivianus in c. fin. cit. Nisi fortè causa ardua & ita gravis sit, ut à delegato melius quàm ab aliis expediri possit, c. Si pro debilitate cit. & propterea specialiter electa videatur industria personæ, Laiman in c. cit. n. 3. Aliam rationem Jalon in l. A iudice cit. & Bartol. in l. Legatum 6. ff. de Offic. Proconsul. red-*

dunt; quòd delegatus Principis acquiratur, imò major sit quocumque iudice Ordinario, *c. Sanè 11. pr. hic & c. Episcopalis 11. §. Præterea de Offic. Ordin. ut proinde, quòd cullibet ordinatione libere permittitur, l. More cit. delegandò jurisdictionem dare, meritò etiam Principis delegato conveniat concedi. Quæ posteriori ratione, uti & allegatis præsertim c. Pastoralis 28. pr. ibi Cùm delegato à Principe Jurisdictione dandi potestatem sit à lege concessa & c. fin. ibi, Cùm delegato à Principe id concedatur à Jure, textibus subdelegationem à summo Principe, præsertim Papa, delegari generaliter & indistinctè concedentibus permoti, Jalon in l. cit. n. 11. Cuiacius in c. Si pro debilitate cit. Pontius Lib. 1. de Matrim. cap. 27. n. 3. & Gonzalez in c. cit. n. 13. ejusmodi delegatis, libere validè, subdelegandi potestatem adhibent, etiam si neque infirmitate neque alia necessitate à causa cognitionis impediantur.*

Neque contrarium evincit *c. Si pro debilitate cit. textus;* quia, cùm aliter textibus subdelegandi facultas ipsis stabilitur indistinctè, illò infirmitatis aut alterius necessitatis causa non exigetur ad subdelegationis valorè, sed ad ejus honestatem duntaxat & justitiam; cùm inde çens utique & injustum sit, injunctum sibi munus transferre in alterum, quando quòd illud exequi per seipsum potest, *arg. c. Prudentiam 21. §. Adhuc, Pontius l. cit. n. 5. Neque etiam textus §. Vices cit. quia iudicibus Conservatoribus subdelegandi facultas (citationibus & sententiarum denuntiationibus solummodo exceptis) ex speciali ratione; ne eorum potestate, aliàs satis amplà, Ordinaria Jurisdictione nimium lædatur, non permittitur; nisi deputationis literis expressè sit concessa, Barbosa in c. fin. cit. n. 16. & Gonzalez*

& Gonzalez in c. Si pro debilitate cit. n. 14.

18. Seundò, subdelegandi facultatem Legati à latere delegato tribuunt Panorm. in c. Cùm Bertoldus 18. de Sent. & re judic. n. 22. & Felinus in c. Super questionum cit. n. 18. præcipuè permoti textu c. Cùm Bertoldus cit. quò ab Archiepiscopo Rhemenfi, Papæ à latere legato, delegati, Vices suas aliis subdelegasse, in terminis perhibentur. Ratio duplex reddi solet. Una; quòd à latere Legatus æquiparetur Proconsuli, c. Legatos 2. de Offic. legat. in 6. ejus legato live, ut inquit, delegato judicem dandi, hoc est, subdelegandi potestatem competere, ex l. Legatus 12. ff. de Offic. Proconsul. & l. cùm Prætor 12. §. 1. ff. de Judiciis constat. Altera; quòd ejusmodi Legatus Papæ in Provincia sua major sit omnibus post Papam: ejusque delegatus quasi ipfius Papæ delegatus censeatur. Sed hoc, & ejusmodi delegato subdelegationem Jure permiffam, cæteri præfertim RR, Interpp. & DD. passim negant, & c. Cùm Bertoldus cit. legati delegatorum subdelegationem solummodo narrativè referri, non approbati, dicunt; cùm de ejus valore vel nullitate nulla fiat mentio: & Papæ tota decisio spectet sententiam ab ordinario judice latam, Petr. Barbosa in §. 1. cit. n. 121. & Gonzalez in c. Si pro debilitate cit. n. 17.

19. Minùs quàm textui & rationi primæ, tribunt alteri; quòd Proconsulis legatum ex JCTis judicem Ordinarium esse, asserant Alciatus in Rubr. de Offic. Ordin. n. 6. & Cujacius Lib. 7. observat. cap. 21. Eum delegatum quidem, sed tamen subdelegandi potestatem non habere, cum Donello Comment. lib. 17. cap. 23. velit Pontius cit. cap. 26. n. 12. Alii, Proconsulis quidem legatū, delegatum, & subdelegandi potestate præditū esse, haud

ægrè concedant: sed, ab eo ad Papæ legatum rectè argui, inficiuntur; quod iste c. Legatos cit. Proconsuli solummodo comparetur; quòd, sicut iste, sic etiam ille, in regenda sua Provincia Ordinarius reputetur, non etiam quoad alia, Zæsius ad hanc Rubr. n. 6.

Tertiò, subdelegare potest à judice Ordinariò inferiore delegatus ad causarum vg. Matrimonialium, Decimalium, universitatem: à quo unam vel plures causas particulares alteri committi posse, Glossa & DD. passim defumunt ex l. & §. 1. ff. Quis & à quo appell. & l. Legatus 12. ff. de Offic. Proconsul. Sed neque his, neque aliis Juris textibus id clarè habetur: & propterea hujusmodi delegatis ita subdelegandi facultatem, non tam textibus Juris, quàm communi eorum interpretatione, sensuque DD. & universali consuetudine niti, non malè quis existimet, cum Petr. Barbosa in l. Cùm Prætor 12. §. 1. ff. de Judiciis n. 281. & cit. Pontio cap. 26. n. 12. Ratio reddi solet; quòd ad causarum universitatem delegatus quodammodo æquiparetur habenti jurisdictionem Ordinariam; ac proinde in eo locus sit, arg. c. Cùm Episcopus & l. More cit.

Dixi autem, Unam vel plures particulares: non totam causarum universitatem; quia sibi commissarum causarum ipsam universitatem neque delegatus; neque etiam Ordinarius & Principe inferior judex officium & jurisdictionem suam totam alteri committere potest, sine licentia Principis vel ipsius Juris: ex cuius dispositione jurisdictionem suam ab Episcopo committi posse, diximus, ad Tit. preced. n. 36.

Neque obstant n. 12. allata in contrarium, cùm; quia summi Principis aut ad universitatem delegatus, ut dictum, æquiparatur judici Ordinario; ideòque, si-

Gg gg } cut isti,

cut isti, sic etiam illi subdelegatio merito est permessa: tunc verò; quòd industria personæ ipsius delegati non semper, sed tunc solum specialiter electa censeatur, quando id exprimitur, aut delegato præcipitur, ut *Per se ipsum* vel *Personaliter* procedat, Felinus in *cit. c. fin. §. Is autem n. 2.* vel causæ commissæ arduitas ipsius delegati prudentiam requirere videtur, *c. Si pro debilitate cit. vg. si specialis inquisitio aut provisio Ecclesiæ de Prælato, juxta c. fin. §. Is autem cit. vel nudum ministerium sive mera executio, vg. Prædicatio Crucis, excommunicati denuntiatio vel absolutio alteri quàm Papæ delegato committatur, c. fin. cit. §. fin. Felinus in §. cit. n. 6. & Laiman n. 5.*

22. Magis obolare hæcenus de subdelegatione traditis videtur; quòd à parochis assumpti Cooperatores, ab illis sibi commissam parochianorum confessiones audiendi eosque à peccatis absolvendi potestatem, aliis subdelegare nequeant: & multò magis; quòd Regulares, vg. Mendicantes à peccatis & censuris absolvendi, in votis dispensandi, eavè commutandi facultatem privilegio Apostolicò obtinentes, eam ne in casu quidem particulari subdelegare possint: quantumvis non tantum ad universitatem, sed ipsius etiam summi Principis sint delegati. At revera etiam hæc non obstant, cum; quia hujusmodi pro foro interno delegatis subdelegandi facultas neque in Jure istiusque interpretatione aut communi sensu DD. neque in Consuetudine, sicut pro externo, est fundata: tum verò; quia delegatis subdelegandi potestas non competit, nisi ratione delegationis quasi officium aliquod habere censeantur, & propterea Ordinariis quodammodo æquiparentur: quale cum neque vi privilegiorum Apostolicorum Religiosi, neque vi

assumptionis suæ Cooperatores habere sed simplex & merus jurisdictionis ordine vg. ad absolutionem usus ipsius permissus censeatur, mirum non est; quòd subdelegare nequeant, etsi id aliis delegati possint, Laiman *Lib. 5. Tract. 6. cap. 10. n. 14.* & Palao *tract. 13. disp. 13. n. 16.*

Quartò, etiam ad unam solum causam ab Ordinario inferiore delegatam eam subdelegare potest, si id ipsi à delegante expressè aut saltem tacite, vg. delegandò cum clausula, *Per te vel per alium* concedatur: & non suo sed Ordinarii eam sibi ita committentis, nomine subdeleget, ut cum Glossa in *c. Is in 12. Per alium in 6. Panormit. in c. Super provisionum cit. §. Porro n. 2. Felinus ibid. n. 18. Bartolo in l. More 5. ff. de Jurisd. n. 12. Alberico ibid. n. 14. & Innocent. ibid. sustinent Sylvester *V. Delegatus q. 4. Navarrus in can. Placuit disp. 6. de Proc. n. 70. Sotus in 4. disp. 18. q. 4. art. 2.* communiter alii tam TT. quam GG. quos congerit & sequitur Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 31. n. 8.* Ratio est; quia tali casu delegatus non suò, sed Ordinarii ipsius Ordinarii delegantis, jure & nomine causam committere, & subdelegatus jurisdictionem accipere censeatur, non à delegato, sed à primo delegante: ut quem etiam ab ejusmodi subdelegato appellandum, Felinus in *c. cit. n. 13. Laiman 3.* & ibi Laiman n. 10.*

Communi huic doctrinæ pro eorum militantium DD. torrenti Fachinus *Lib. 1. controvers. cap. 45.* eumque locum Pontius *cit. cap. 26. n. 14.* opponunt. Prætermodò *c. fin. c. Causam §. l. A. judice cur. rectoris*, subdelegandi facultatem Principi delegato adfluente contra rationem Juris, subdelegationem aliis non permittentis, *l. Etsi Prætor §. Spatium cit. contra* cujus rationem concessa in consequentiam

tiam trahenda non sunt, *Reg. Quod contra 141. ff. de Reg. Jure à Jure 28. in 6.* Secundus; quia, quæ lege vel senatus consulto vel Constitutione Principum certis magistratibus specialiter tribuuntur, ea in alios ab ipsis magistratibus transferri non possunt, *l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata*: potestas autem subdelegandi certis magistratibus, scilicet summi Principis delegatis, specialiter conceditur; ac proinde aliorum delegatis merito denegatur; cum his ea Jure concessa non reperiatur, & judicem dare illi solum possint, quibus id lege vel constitutione vel senatus consulto conceditur, *l. Cum Prator 12. §. 1. ff. de Judicis.* Tertius; quia sacri canones dare vetant judicem incertum, *c. Adhuc 10. de Rescript.* incertum autem judicem Ordinarius inferior daret, delegandum cum potestate subdelegandi, præsertim personam, in quam causa per subdelegationem transferenda sit, non expressa; cum tali casu suo nomine à delegato substituendam personam Ordinarius delegans ignoret.

Sed argumenta hæc, licet primò intuitu speciosa sint, accuratius tamen inspecta intentum & à communi doctrina recessum nullatenus persuadent. Priora duo; quia solum pugnant contra subdelegationem à delegato suo nomine juræque & seculis delegantis concessione, faciendam: quam *citt. Felinus n. 18. Sanchez n. 8.* & ab hoc relati DD. alii ipsi quoque rejiciunt; quòd, cum delegatus non habeat jurisdictionem propriam, suo nomine ac jure eam transferre in alium utique non possit: non contra subdelegationem, quæ à delegato fit ex voluntate, jussione vel permissione juræque ipsius Ordinarii delegantis; cum enim iste alteri committere non prohibeatur electionem ipsius delegati suo nomine faciendam, non apparet ulla ratio, cur à se delegato cau-

sam suo nomine in alterum transferendi licentiam dare nequeat, instar arbitri compromissarii: qui, licet arbitrium subdelegandò in alium transferre Jure nequeat; ne finis non sit: id tamen potest ex consensu partium, *l. Non distinguemus 32. §. 16. ff. de Recept. arbitr.* ex quarum consensu subdelegatus perinde, ut ab ipsis delegatus habetur: sicut, cum hæres jussu testatoris eligit unum ex familia Titii, qui legatum capiat, electo beneficium non ab hærede, sed à testatore collatum censetur, *l. Unum de familia 67. §. 1. ff. de Legat. 2.*

Non magis urget argumentum potestatem, partim; quia *c. Adhuc cit.* tantum rejicitur delegatio judicis incerti, eligendi arbitriò ejus, à quo impetratum est rescriptum; quòd iste eligere posset sibi faventem & adversam parti merito suspensum, ut *Tit. 3. n. 96.* est dictum & notant *citt. Felin. n. 18. Laiman n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 24. in fine*: partim verò; quia eò ipso; quòd delegatus causam non suo sed delegantis nomine & ex istius persona subdeleget, non incertus, sed per delegati designationem certus judex ab ipso Ordinario substitui censetur, ut præter *Interpp. citt. Alexand. in l. More cit. num. 27.* & Sanchez *num. 18.* observant.

Quintò denique ab Ordinario, Principe inferiore, ad unam etiam causam delegatus, etsi absque illius concessione, neque sibi commissam causam totam, neque ejus partem sive articulum jurisdictionalem, causæ cognitionem continentem, subdelegare alteri possit: huic tamen nudum aliquod ministerium vel meram executionem, sine causæ cognitione, committere potest, ut colligitur ex *c. Super questionum cit. §. Nos autem* & cum Glossa *fin. in Clement. Unic. hic tradunt citt. Laiman n. 11.* & Sanchez *n. 10.*

ARTI.

ARTICULUS III.

De Personis Delegatis.

SUMMARIUM.

26. Delegati esse nequeunt surdi, furiosi, infames &c.
27. Pubes, si 20. minor, non nisi à Principe:
28. Et, si 18. annis major est, partibus consentientibus.
29. Laicus delegari nequit ad spirituales,
30. Et Clericorum causas, non merè pecuniarias:
31. Nisi ex certa scientia à Papa:
32. Cujus delegati dignitate &c. conspicui esse debent.
33. Saltem de Jure Communi.
34. Inferiorum delegati esse possunt simplices Clerici.
35. De delegatis salubre decretum Tridentini.
36. Delegari ad eandem causam plures in solidum,
37. Aut secus, possunt.
38. Papa etiam subdelegatus dignitate &c. conspicuus esse debet:
39. Et esse potest ejus delegati Socius:
40. Nisi delegationis literis inserta clausula obstat.
41. Ad delegationis acceptationem subditi tenentur, & cogi ferè possunt.

26. **D**E his quoque Regula generalis est, delegari posse omnes, qui non prohibentur, Speculat. de Judice deleg. §. 3. n. 1. Prohibentur autem quidam Naturæ, ut surdi, muti, perpetuò furiosi, infantes; propter

defectum judicii ac discretionis, §. Trid post can. 1. causa 3. q. 7. & l. Cùm Prætor 12. §. 2. V. Natura ff. de Judiciis: Alii Lege vel Canone, ut senatu moti, §. hinc V. Lege, infames, utpote quibus ætate legitimi sunt interdicti, c. Licet 47. §. Alii tamen de Testi, & atresb. excommunicati, can. Audimus 24. q. 1. & c. Ad prætorum 24. de Rejudic. Alii denique Moribus, sive Consuetudine, à Civibus & publicis officiis eos repellente, ut heri de scemina, §. §. cit. V. Moribus.

Imò etiam pubes viginti annis minor delegari nequit, c. Cùm vicissim 41. nisi à Papa vel alio Principe aut magistratu supremo datus sit, c. cit. et certa tamen Scientia, hoc est, minorem ætatem non ignorante: qui, sic cum constituendò, in ætate dispensare videtur, Quidam 37. ff. de Re judic. Gloffa in l. Cùm Prætor cit. V. Et impubes: vel illi in eum, qui octodecim annis major de partes consenserint c. & l. Quidam cit. & ibi DD.

Neque ei obstat; quòd viginti annis minor partium consensu esse nequit arbiter Compromissarius, l. Cùm legi 1. ff. de Recept. arbitr. quia non existeretio est arbitrii & delegationis; illud enim majoris præjudicii est, quàm illa: cum delegatus ut suspectus reculari, c. Subjectionis 39. l. Apertissimi 16. & l. fin. C. de Judic. & ab ejus sententia appellari, l. de seqq. ff. Quis & à quo appell. non enim ab ejusmodi arbitris possit, l. Non distinguemus 35. §. 14. ff. & l. n. C. de arbitris eum in eos partes sponte consenserint, & sequè, ad eorum arbitrio standum, obligaverint, Gloffa fin. in c. Cùm vicissim cit. & Panormit. in c. Suspicionis cit. n. 7.

Præterea, ad causas spirituales &c. ecclesiasticas delegati de Jure esse nequeunt Laici, arg. c. Decernimus 22. de Judiciis: quia, ut ad eam Rubricam ostenditur, ejusmodi

ejusmodi causarum pertractatio exigit spirituales & Ecclesiasticam jurisdictionem, quæ laici carent.

Neque obstat; quòd laici esse possint Ecclesiastici Consilarii &, accedente Episcopi consensu, in eos simul cum clericis, tanquam Arbitros, in talibus causis possit compromitti, *c. Per tuas g. de Arbitris*. Non, inquam, hoc obstat; quia consilium dare, uti etiam arbitrium proferre, non sunt actus jurisdictionis spiritualis: cujus cum laicus non sit capax, neque simul cum clerico iudex delegari valet: etsi cum isto Arbitro & Consiliario Ecclesiasticus esse possit, Clarus §. *fin. q. 41. n. 7.* & Molina *Tract. 5. de J. & J. disp. 31. n. 10.*

30. Dixi *Ad spirituales & Ecclesiasticas*: cujusmodi sunt Beneficiales, Matrimoniales & aliæ, in quibus de spirituali aut huic annexo controversia, vel reus conventus clericus, Ecclesia Monasterium &c. est, ut *Lib. 2. Tit. 2. art. 5.* pluribus declarabitur: non ad causas Prophanas, ut sunt pecuniariæ aliæque merè civiles, aut etiam criminales, si iis reus laicus conveniatur; cum enim istæ jurisdictioni seculari Ordinariæ subijci à Jure non prohibeantur, etiam & multò magis laicis delegari à Papa & aliis Prælati Ecclesiasticis valebunt, ut *in c. Statutum 11. de Rescript. in 6.* notant Francus n. 12. Laiman n. 2. *in fine* & Barbosa n. 22.

31. Imò laicis delegari, etiam ab Episcopis, possunt pecuniariæ aliæque causæ merè civiles Clericorum & Ecclesiarum, ut *in c. Decernimus cit.* cum Glossa *V. Presumant* & Panormit. n. 5. notant Laiman n. 3. & Barbosa n. 7. Totam autem etiam ejusmodi causarum Universalitatem; quòd ad hanc delegati jurisdictione æquiparetur Ordinariæ, in laicum non cadenti; & multò magis ceteras

causas spirituales, non ab Ordinariis, sed à summo Pontifice tantum, ex certa scientia & ex Papalis potestatis plenitudine, laico committi posse, cum *cit.* Glossa & Hostiensis in *Summa h. n. 3.* tradunt Navarrus *Manual. cap. 27. n. 6.* Covarruvias in *c. Alma p. 1. §. 11. n. 3.* & alii DD. passim.

Neque solum ex laicis, sed clericis 32. etiam ad spirituales atque Ecclesiasticas causas à Papa ejusque legatis delegari de Jure nemo potest, nisi in dignitate aliqua Ecclesiastica sit constitutus, vel personatum obtineat, vel Ecclesiæ Cathedralis secularis canonicus sit, ex constitutione Bonifacii VIII. *c. Statutum 11. pr. de Rescript. in 6.* relata & *ad hanc Rubr. d. n. 145.* latè declarata.

De Jure, inquam, & Papa ipsiusque 33. Legatorum, Prius; quia, licet de Jure communi res ita se habeat, absolute tamen causæ Ecclesiasticæ à Papa delegari etiam simplici sacerdoti possunt, & censentur non tantum, si dictæ constitutioni diserte deroget, aut exprimat inhabilitatem: sed etiam, si causam simplici clerico, eum ita nominandò, ex certa scientia committat, ut *in c. cit.* cum Glossa *V. Literarum* notant Laiman n. 8. *in fine* & Barbosa n. 30. quòd, cum ista clausula delegans, præsumatur dispensare. Posteriorius; quia, delegatus Episcopi eique similitum Prælatorum simplex clericus & Religiosus esse, nullo Jure prohibetur, Glossa *in c. cit. V. Sedis Apostolica* Zabarelli *in Clement. 2. de Rescript. q. 16. §. 18.* & Anchoranus n. 9. Rationem diversitatis geminam insinuat Glossa *cit.* Una est, auctoritas & honor sedis Apostolicæ, supra omnes alias eminentis: quam; ne in delegato ejus vicem gerente vilipendatur, à personis tantum gravibus & dignitate, personatu, vel alio simili gradu & rerum juriumque Ecclesiasticorum peritiâ con-

Hh hh spicuis,

spicuis convenit representari. Altera; quod Papa; cum procul à diocesis sit absens, in his degentium clericorum qualitates non ita perspectas habeat, sicut Prælati istorum immediati, causas delegare debeat ex præsumptione: quâ dignitate vel personatu conspicuus, etiam scientiâ & moribus præstare, aliisque ad pertractanda negotia magis idoneus censetur, *arg. can. Miramur 4. dist. 61. contra verò Episcopi, hęc ipsò; quod præsentibus sint, delegationes facere possint secundum ipsa merita & idoneitatem: quæ, cum sæpe major in simplici clerico quàm aliis in dignitate vel personatu constitutis, reperitur, rectè etiam simplicibus clericis causas delegare permittuntur.*

35. Porro, cum ex personis, Cathedralibus canonicatus, personatus & dignitates etiam Ecclesiasticas obtinentibus, multas ad causarum cognitionem necessariâ scientiâ non instructas, usu compertum esset; ne tales ad illas imposterum delegarentur, S. Synodus Tridentina, *In Conciliis Provincialibus aut Diocesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit Statutum & alioquin ad id aptas designari voluit, ut præter Ordinarios locorum iis etiam posthac cause Ecclesiasticæ & spirituales & ad Forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus deleganda committantur: & si aliquem interim e designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, ita ut habeat quæque diocesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, quibus hujusmodi cause à quolibet legato vel nuntio Apostolico, atque etiam à sede Apostolica committantur, Sess. 25. cap. 10. de Reform. Quod S. Synodi decretum in omnibus, & iis præsertim Provinciis ac diocesis, in quibus c. Statutum est. præscriptis qualitatibus præditæ,*

non pauca: scientiâ contra, ad justissimam causarum cognitionem necessariâ instructæ personæ non multæ reperiantur, in viridi observantia esse, omnino expediret.

Neque unus tantum, sed plures judices delegari ad eandem causam possunt: quò tamen casu, si in solidum dati sint, locus est præventioni ita, ut alii se intermittere non possint: nisi, qui eos præoccupavit, infirmitate vel aliâ justâ causâ sit impeditus, vel procedere multo minus recuset, *c. Cum plures 8. in 6. Si vero in solidum datos ex tenore rescripti, quod huic infera sit clausula, singulis istorum procedendi facultatem concedens, non constet, jurisdictionem in solidum non habent; ac proinde unus sine altero procedere & pronuntiare non potest, c. Causam 16. § 1. Duo 39. ff. de Re judic. quia, si solus procederet, excederet in mandato, quos à delegato diligenter studiosos patet ex c. est. c. P. & G. de Rescript. & c. Delecta 22. de Rescript. Glossa in Quamvis 6. V. Duobus cit. Laiman n. 1. & Pirrhing hac Rubr. n. 17. Imò, cum duo vel plures delegati sint cum clausula, Si ambo vel omnes non potestis, non unus procedat, unus vel duo, nisi rationabiliter interesse non posse, ipsis legitime cessante sine aliis procedere nequeunt; ut, si absque his procedant, ab ipsis acta omnia irrita sint, c. Prudentiam 21. pr. ab usque solis citatus non teneatur comparere, c. Cum causa 22. Si tamen ita citatus, aliquis etiam præsentibus, comparere, respondere teneretur: non quidem vi citationis, quia hæc nulla est: sed quòd, partibus præsentibus, citatione non sit opus, Panormit. in c. Cum causa cit. n. 3. Decius not. 3. & Laiman n. 1.*

Judices etiam à Papa delegati, si causam sibi commissam subdelegare velint, non nisi personas, quæ dignitate vel personatu

sonatu conspicuæ aut Ecclesiæ Cathedra-
lis canonici sint, sibi substituere possunt,
c. Statutum cit. pr. & §. In nullo, junctâ
Glossâ *V. Designati*, Barbofa *in c. cit. n. 4.*
& Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 32. in fine.*

39. Subdelegare autem causam possunt
non tantum alicui extraneo, sed etiam so-
cio, ad eandem causam à Papa secum dele-
gato, *c. Quamvis 6.* quia subdelegandi
privilegium delegato, præsertim Princi-
pis, à Jure concessum, ob illius honorem
interpretandum est latè, *c. Cum dilecti 6.*
de Donation. Quò tamen casu ille non
solus, sive jure singulari, sed tanquam de-
legatus Papæ & socii sui subdelegatus sim-
ul in causa procedere & pronuntiare:
neque aliam sui socii quam suò, sed utri-
usque nomine eandem sententiam pro-
ferre debet; cum eadem conscientia, quâ
tanquam delegatus, etiam tanquam sub-
delegatus, aliquid justum injustumve de-
beat judicare, ut *in c. Quamvis cit.* cum
Panormit. *n. 3.* observant Vivianus *in fine*
& Laiman *n. 1.* qui cum Decio *in c. cit.*
pro generali Regula tradit, in negotiis à
judicio intellectus pendentibus, si quis
duplici jure agat, vg. si tanquam Præpo-
situs & canonicus, vel suò & alterius, suo
judicio suffragium committentis, nomi-
ne vocem habeat in electione vel præsentia-
tione, eum, quem suo jure utens & no-
mine proprio agens tanquam digniorem
præfert, etiam alteri^o jure utenti & alienò
nomine agenti præferendum esse.

40. Excipiendus tamen hic est casus, in
primis, quò causa duobus delegatur cum
clausula, *Ut simul procedant*; tum enim
socio vices suas delegare neuter, & vi hu-
jusmodi delegationis alter solus proce-
dere non potest, *c. causam 16.* quia id fa-
ciendò excederet fines mandati, Laiman
in c. cit. n. 2. Deinde, quò in rescripto
delegationis duobus factæ additur clau-
sula, *Si ambo non potessit, alter procedat;*

hòc enim casu delegatorum unò impedi-
tò alter procedere solus potest, & ab im-
pedito subdelegatum admittere non te-
netur; quia clausula sic adjecta censetur
in favorem collegæ: ad quem proinde,
impedimentò ex parte alterius interve-
niente, judicandi potestas tota est devo-
luta, Laiman *in c. Quamvis cit.* & Bar-
bofa *n. 3.*

Dubium est, an quis ad delegationis 41.
acceptationem, eaque commissæ causæ per-
tractationem possit cogi. A Papa cogi
regulariter quoscunque posse, res est Ju-
ris omnino explorati; quòd, cum supe-
rior & judex Ordinarius sit omnium Chri-
sti fidelium, *can. Cuncta per mundum 9.*
q. 3. justa præcipienti & committenti pa-
rere omnes teneantur, Panormit. *in c.*
Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin. n. 7.

Ejus etiam delegato, causam sibi com-
missam subdeleganti, parere omnes, eò et-
iam aliàs superiores, teneri, liquet ex
c. Pastoralis 2 8. pr. hic & ratio est; quòd
Papæ delegatus, licet aliàs minor, in causa
tamen sibi commissâ major quovis Ordina-
rio sit, *c. Sanè 11.* quòd in ea Papæ vi-
ce fungatur, ejusque intuitu honoretur,
c. fin. dist. 93. Panormit. *in c. cit. n. 2. ubi*
Vivian. *pr.* & Laiman *n. 1.* superiores
tamen, præsertim in dignitate constituti,
extra urgentis necessitatis casus, compen-
dendi non sunt: & si eos quoque compelli
exigeret necessitas, dignitatis ha-
benda ratio, & in adhibendis censuris
moderatè & gradatim est procedendum,
c. Pastoralis 28. cit. pr. & c. Quia Ponti-
ficali 2. in 6. Glossa *in c. Pastoralis cit.*
V. Superioribus, ubi Panormit. *n. 4.* & Lai-
man *n. 3.*

De Episcopo & judicibus Ordina-
riis aliis communi DD. calculò recepta
est distinctio; quantumvis enim ad dele-
gationem acceptandam ab ipsis subditi
sui etiam invitati regulariter compelli, &
H h h h 2 causæ

causæ delegari etiam non subditis possint, arg. l. Unic. C. Qui pro sua jurisdic. hi tamen inviti ad delegationis munus recipiendum ab ipsis nequeunt compelli; quod, sicut extra territorium, l. fin. sic etiam non subdito præcipienti impunè non pareatur, l. Eum quis 13. pr. ff. de Jurisdic. ubi Glossa V. Magistratum & Molina Tract. 5. de J. & J. disp. 16. num. 1. Quod si non subditus delegationem semel acceptasset, ad causæ illâ commissæ pertractationem compelli etiam ipse posset, arg. c. Pastoralis 11. cit. pr. sic enim, licet Archiepiscopus in suffraganeorum suorum subditos (exceptis quibusdam casibus Jure expressis) jurisdictionem non habeat, eosque invitos ad causâ, per viam appellationis ad curiam suam Archiepiscopalem devolutâ, delegationem suscipiendam compellere ipse non possit: sed, si eum compellendum duxerit, ejus coactionem proprio ipsius Episcopo suffraganeo suo debeat committere; quod ille, extra speciales casus, Archiepiscopi subditus non sit: postquam tamen suffraganei subditus ab Archiepiscopo sibi factam delegationem admisit, compelli etiam à delegante potest, ut delegationis acceptatione susceptum munus impleat & causam pertractet, pr. cit. Molina cit. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. num. 35.

Dixi iteratò, Regulariter; quia, si delegatio, etiam subdito suo ab Episcopo vel ipso Papa facta, ab illo sine gravi incommodo rerumque suarum magnò detrimento suscipi non posset, ad illius acceptationem cogi Jure non posset, neque delegans eum compellere velle censeretur; quòd superior & ipse etiam Papa subditis id, quòd exequi sine gravi incommodo damnòque suo non possunt, mandare velle, si non exprimat, non

præsumatur, Glossa in c. Prudentiam 21. §. Adjicimus V. Cùm possit, ubi Pirrhing n. 3. & Laiman n. 4.

ARTICULUS IV.

De Judicis Delegati Officio.

SUMMARIUM.

42. Differentia inter Officium & Præstarem.
43. Vi illius delegato expectandum rescriptum.
44. Idque exhibendum Ordinariis parribus.
45. Et ab his diligenter calculandum est.
46. Saltem, si delegatio facta sit à Papa.
47. Rescripti forma accuratè observanda.
48. Ad connexa tamen & accessoria.
49. Ad personas extraneas, quæ rescriptum tangit.
50. Et aliquando ad locum extrinsecum.
51. Certâ formâ non præscriptâ, observatur Jus commune.
52. Admittenda rationabiles exceptiones;
53. Quæ per clausulam, Nullâ exceptione admittâ, remouentur.
54. Nisi notoria aut Jure specialiter sint approbata.
55. Eadem ratio est appellanti.

Differunt inter se Officium & Præstas; cùm, quicquid officii est judicis, ejus etiam sit potestatis; non vicissim omnia, quæ po-

quæ potestati permittuntur, etiam Jure
facere teneatur, *l. Non quidquid 40. ff.
de Judiciis*, imò sæpè, quod potest, te-
neatur omittere; atque idcirco delegati
potestas sive jurisdicção latius quàm offi-
cium & obligatio se extendat, Zæsius
ad hanc Rubr. n. 23. & Gonzalez *in c.*
1. n. 12. Hòc præmissò

43. Ad Officium delegati in primis spe-
ctat, ut non procedat ante delegationis
rescriptum sibi præsentatum, licet cau-
sam sibi delegatam sciat; etsi enim in re-
scriptis, quoad vim comprehensivam,
sive in eo contenta, & quoad habilita-
tem impetrantis, fere considerandum sit
tempus Datæ, *c. Si eo tempore 9. de Re-
scriptis. in 6.* ut, si v.g. impetrans bene-
ficio Ecclesiasticum eò tempore, quò
literæ impetratæ sive datæ sunt, non sit
clericus, aut ætatem vel alias qualitates,
quas beneficium exigat, non habeat, re-
scriptum irritum sit, Barbosa *in c. cit.*
n. 7. idèmq; sit quoad habilitatem per-
sonæ judicis delegati, juxta dicta *Tit. 2.*
n. 136. quoad jurisdicçãois tamen re-
scriptò commissæ exercitium inspicitur
tempus, quò illud est præsentatum; ut
ab ejus præsentatione sive receptione, &
non antè, jurisdicçãois exercitium ipsi
collatum censeatur, juxta decisionem *c.*
Super eo 12. de Appellat. ex qua doctrinam
hanc cum Glossa *in c. De causis 4.* desum-
unt & pro Regula tradunt Francus *in*
c. Super eo cit. not. 4. & ibi Laiman *n.*
3. & 4. quòd jurisdicção acquiri non pos-
sit, nisi scienti & acceptanti: quòd an-
tè rescripti præsentationem non contin-
git; ut adèd ante delegationis rescripti
præsentationem à judice delegato incho-
atus processus & in causa illò commissæ
acta irrita sint, & postea secutâ illius
præsentatione non convalescant; quòd,
cum ante rescripti præsentationem car-
uerit exercitio jurisdicçãois, acta cen-

seantur à privato, Maranta *de Ord. Ju-
dic. p. 4. dist. 16. n. 8.* & Vallens. *ad*
hanc Rubr. §. 4. n. 3.

Secundò ut, si delegatus Papæ est, 44.
antequam jurisdicçãoem exerceat, suæ
commissiois literas coram Ordinario
præsentet, ejusque copiam faciat parti-
bus litigantibus, coram se comparen-
tibus, *c. Cum in Jure 31.* quòd in praxi
observari notat Gonzalez *in cit. c. n. 3.*
cum enim in quolibet territorio præsum-
ptio sit pro judice Ordinario, alius in
eo judicandi potestatem habere non cre-
ditur, nisi delegationem suam, editis
istius literis, probet, *per text. c. cit.*
& arg. c. 1. de Procurat. partim; quòd
delegatio sit quid Facti, quòd regulari-
ter non præsumitur, nisi probetur, *l.*
In bello 12. §. 2. ff. de Capt. & postlim. &
l. Afferatio 10. C. De non numeratâ:
partim verò; quòd jurisdicção sit quali-
tas, quæ homini neque à natura neque
ordinariè inest, sed uni aut alteri com-
petere potest: ideòque antè omnia proba-
nda sit, Glossa *in c. Si forte 11. V. Sci-
entia de Elect. in 6.* Panormit. *in c. Post-*
quam 3. eadem Rubr. n. 7. & Mascardus
de Probat. concl. 946. n. 3.

Propter quas rationes *in c. cit.* cum 45.
iisdem Felino *n. 8.* & Panormit. *n. 6.*
salubriter monent Laiman *n. 3.* & Fagna-
nus *n. 24.* ei, pro quo à delegato Papæ
lata est sententia, istam & delegationem
sive commissioem pari curâ custodien-
das; ne, si cum tempore super eadem
causa conveniretur, & solummodo sen-
tentiam à delegato latam, non etiam de-
legationem exhiberet, hanc illi factam,
ac proinde sententiam à jurisdicçãoem
habente latam, legitime nequeat probare.
Quare saltem, si sententia adversus par-
tem contumaciter absentem lata esset,
curandum ei est, ut à Papa vel alio Prin-
cipe impetratum delegationis rescriptum
H h h h ; à Nota-

à Notario coram iudice & præsente parte registretur: vel delegatio aliter v.g. per ipsum originale rescriptum, vel per istius exemplum, solenniter transumptum, probari possit.

Dixi, *Saltem adversus contumaciter absentem*; quia, si in prolatione sententiæ aut ante litis contestationem pars comparuisset, & contra illam non appellasset, aut defectum jurisdictionis ante litem contestatam non opposuisset, præsumptionem pro jurisdictione fore, notat Innocentius in *c. cit. n. 4.*

Neque obstat; quod quilibet præsumatur bonus, *c. fin. de Præsumpt. & l. Merito § 1. ff. pro Socio*; ac proinde, se delegatum asserens, non credendus sit mentiri; quia hoc quasi Regulare pronuntiatum pluribus, & eò præcipuè casu non procedit, quò agitur de præiudicio alterius; tum enim non sufficit præsumptio, sed plenæ probationis cautela est adhibenda, *c. Cum à nobis 28. de Test. & attest. ut in c. Cum in Jure cit. Interpp. cit. plerique & ipse Doctor Angelicus 2. 2. q. 20. art. 3. in fine* advertunt.

46. Dixi etiam *Pape*; quia delegatus ab inferiore delegationem sufficienter probat per testes; nam, cum de his aliud statutum non sit, locum in iis habebit Jus commune: juxta quod eandem vim habent probationes per testes & per instrumenta, *l. In exercendis 15. C. de Fide Instrument. Speculat. de Probat. §. fin. n. 1. Fagnanus in c. Cum in Jure cit. n. 35.*

47. Tertio, ad ejus officium pertinet, ut si delegationis rescriptò certa procedendi forma præscripta est, eam accuratè observet, *c. Dilecta 22. de Rescript. & l. Diligenter §. pr. ff. Mandati*; aliàs enim ab ipso lata sententia & omnia acta irrita & nulla erunt, *c. Cum olim 32.*

& c. Venerabili 37. cit. Ratio est partim; quòd, cum delegatus jurisdictionem non habeat, nisi quæ concessa est rescriptò delegationis, ea, quæ ultra illius tenorem acta sunt, à non habente jurisdictionem acta videantur, juxta illud Pauli ICT. *l. cit. Mandati sine diligenter custodiendos* monentis, ex ratione; quòd, *Qui eos excessit, aliud quid facere videatur*; partim; quòd delegatio restricti Juris; ac proinde non excedenda ultra personas & causas expressas, *c. §. & P. 40. & à tempore etiam ad tempus, c. Causam 4.*

Excipi tamen, vel potius hæc etiam officii pars declarari solet inprimis, nisi connexa & accessoria sint; cum enim connexorum idem iudicium sit, *c. Translatio 3. de Constitut. &* quòd accessorium est, principale etiam quoad cognitionem judicalem sequatur, *c. Prudentiam §. fin. connexa & accessoria delegata sentur*, etsi nulla eorum mentio sit in rescripto, Alberic. in *c. Cum præscriptis 178. ff. de R. I. & Everardus Legal. op. locò 125. n. 2.* Quare, cui specialiter commissæ est causa, omnia ad causæ expeditionem pertinentia, quantum in delegatione non sint expressa, habent in commissionem sive mandatum speciale non exigant, facere debet, *c. Præsentia Vallenf. cit. §. 4. & n. 4.*

Deinde, nisi aliquando à rescriptò rescripti observatione recessum stando æquitas & rationabilis exceptio partem, *c. Ex parte 13.* sic enim, si rescriptum aliquò modò tangat personas extraneas, v.g. si agatur de jure prælationis in aliqua re, & compareant, qui asserunt, se in ea potiores esse, tales, licet rescriptò expressè non comprehendantur, jus suum proponere coram delegato possunt, *in c. P. & G. cit. Panormit. n. 12. & Felinus n. 5.* sic etiam, si causa termi-

mandæ certum tempus rescripto exprefsum fit, reo tamen, propter gravem infirmitatem, causam suam instruere non valenti & petenti dilationem, hæc deneganda non est; quia Papa rescribendõ Juri partium, præsertim à natura permissam defensionem auferendõ, derogare velle non censetur, *arg. c. Super eo 15.*

§0. Simili modõ, si judex sit delegatus, ut de causa cognoscat in certo loco, cum consensu partium de ea in alio (deleganti subjecto, vel si alterius jurisdictioni subjectus est, isto consentiente, Panormit. *l. cit. n. 15.*) cognoscere potest, ut colligitur ex *c. Sacrum 11. §. In nullo de Rescript. in 6.* Ratio est; quia certus locus designari ferè semper solet in favorem ipsarum partium; ne, si ab ipsis remotior sit, magnos sumptus facere debeant: quæ proinde huic suo favori possunt renuntiare, *c. Si de terra 6. de Privileg. Vivianus in §. cit. & Laiman in c. Statuimus 1. in 6. n. 2.* Imò delegatus, saltem Papæ, si propter potentiam vel malitiam ejus, contra quem est procedendum, vel aliam justam causam mandatum episcopolicum commodè exequi non possit, in alio loco facere liberè, hoc est, etiam sine partium consensu permittitur, *c. Statuimus cit. Glossa ibi V. Apostolica sede & Vivianus.* Alia exempla dabunt Panormit. & Felinus *l. cit.*

Esti verò, cum certa forma à summo Principe, etiam à Jure communi diversa, præscripta est, hæc observanda sit, *c. Ex parte 13.* cum ejusmodi rescribens sit supra Jus humanum, *can. Nemo 13. cum seqq. 9. q. 3.* & propterea ei parendum sit: dummodo contra Jus naturale vel Divinum nihil præscribat, & rescriptum ob vel subreptitiè ab eo non sit impetratum, Vivianus *in c. Ex parte* §1. *ut. et si, inquam, hoc ita sit, tamen quan-*

docunque alia delegato præscripta non est, observanda erit forma Juris communis: cui derogare, uti etiam juri partium graviter præjudicare velle, in dubio nunquam præsumitur; ideòque rescriptum, quod Juri communi expresse non derogat, secundum istud est intelligendum, *c. Causam 18. de Rescript. & l. Rescripta. 7. C. de Precib. Imp. offer. Panormit. & Felinus in c. Causam cit. uterque n. 5.*

Quartò, ejus officii etiam est admittere necessarias probationes: & sicut rejicere minus rationabiles ac frivolas, sic admittere rationabiles exceptiones, *c. Ex parte cit.* v. g. quòd non sit delegatus, saltem si prius non exhibuisset literas delegationis: vel; quòd sit delegatus ab eo, qui delegare non potuit: vel; quòd delegari non poterit, quòd ejus jurisdictionis jam expirarit, & similes; quia Papa, cum in processu observandam certam formam, nullà exceptionum mentione factà, præscribit, Juris ordinem, ac proinde ei conformes rationabiles exceptiones tollere, non censetur, *Glossa in c. 1. cit. V. Nulla Panormit. ibid. n. 5. & alii passim.*

Quin etiam, si causa delegetur cum clausula, *Nulla exceptione admissa*, nihilominus rationabiles exceptiones admittendas, cum *citr. Gloss. & Panorm.* volunt Menochius *de Arbitr. casu 197. n. 3.* Molina *Tract. 5. de l. & l. disp. 25. n. 2.* & alii Interpp. ac DD. Rationem reddunt; quod ejusmodi clausula de minus rationabili ac frivola exceptione sit exaudienda; cum rationabilis exceptio dicatur esse sui defensio: ista autem omni Jure sit permessa, *l. Itaque 4. §. l. Scientia 45. §. 4. ff. ad Leg. Aquil.*

Verùm, quia frivola & minus rationabilis exceptio etiam à judice sine ejusmodi clausula delegato admittenda non est,

non est, arg. c. *Cum appellationibus fri-*
wolis §. *de Appellat. in 6.* & l. *Hec stipu-*
latio l. 4. *in fine ff. ut Legat. seu fideicom-*
miss. idcirco; ne huiusmodi clausula,
 sic intellecta, otiosa & inutilis evadat,
 vi ejus etiam rationabiles exceptiones non
 admittendas, cum Felino *in c. Ex parte*
cit. n. 6. & aliis volunt Rodericus *Com-*
pend. Q. Q. Regul. resol. 10. n. 19. & Bar-
 bosa *in c. cit. n. 2.* propter istius c. *tex-*
sum, quod Alexander III. *Cum, Rationa-*
biles exceptiones à delegato admittendas,
 dixisset, subdit, *Nisi exprimatur in li-*
teris nostris, quod nulla debeant exceptio-
nes admitti. Unde hoc casu etiam ra-
 tionabiles non admittendas, rectè infer-
 tur; quia particula exceptiva, *Nisi*, suâ
 naturâ semper præcedentibus contradicit
 eisque oppositum ponit; ut, quod præ-
 cedens oratio affirmat, ut in proposito
Rationabiles exceptiones admittendas,
 ipsa neget, per tradita à Bartolo *in l.*
Actione 4. C. de Transact. n. 1. Tuschio
Prætic. V. Dicitio conclus. 314. n. 6. &
 Everardo *Legal. arg. loco 82. n. 7.*

Neque, huiusmodi exceptiones ad-
 mittendas, pro ipsis deducta ratio evin-
 cit; quia imprimis, si hoc evinceret, Pa-
 pæ deneganda esset autoritas, delegan-
 di cum clausula, rationabilem exceptio-
 nem expressè tollente: quam tamen ob-
 servandam Panormit. *l. cit.* & alii In-
 terpp. notant; quod Papa, ex plenitu-
 dine potestatis suæ, communi & ipsius
 etiam partis juri derogare valeat, & ta-
 li casu velle censeatur. Deinde; quia,
 exceptionem etiam rationabilem non ad-
 mittens, non tollit omnem defensionem;
 cum, qui nequit excipere, possit appel-
 lare aut iudicis officium implorare, ut
 ex Barbatia advertit hac in re contrarius
 §4. Laiman *n. 4.* Demum; quia, licet ju-
 dex à Papa delegatus, vi ejusmodi clau-
 sulæ aliis etiam, quæ rationabiles & justæ

videntur, non attentis procedere debeat,
 admittere tamè non prohibetur exceptio-
 nes notorias, fundatas in Jure Naturali vel
 Divino, aut Jure Humano specialiter
 approbatas: ut v.g. sunt exceptiones mul-
 titatis: incompetentiæ iudicis, defectus
 citationis, inhabilitatis personæ ad ag-
 dum, inepti libelli: exceptiones mentis
 vel doli aperti, oppositæ v.g. instrumento
 confessionato: exceptiones fundatæ in
 confessione partis in iudicio factæ, vel in
 instrumento aque aut magis solentis,
 quàm est id, in quo intentionem suam
 fundat actor: exceptiones fundatæ in
 sententia, quæ tranlit in rem judicantem,
 vel in publico & authentico instrumento
 & similes aliæ, quas alii DD. con-
 tate deducit Felinus *in c. Ex parte cit. d.*
n. 6.

Quintò, ejus officium erigit, ut
 deferat Legitimæ appellationi; cum
 nim hæc sit quadam sui defensio, in in-
 nocentiæ præsidium comparata, & *Can-*
speciali 61. §. Porro de Appellat. *legi-*
time interpositæ iudex, sicut Ordinarius,
 sic etiam delegatus deferre debet, *can.*
Omnis, can. Si quis & segg. 2. q. 6. quæ de
re fermo redibit Lib. 2. Tit. 28. artic.

ARTICULUS V.

De ejusdem Potestate

SUMMARIUM.

56. *Vi istius delegatus citat partes &*
57. *Processum impediens coarctat,*
58. *Etiam censuris, adhibita tamen*
moderatione;
59. *Interdictò, terram Episcopi contra-*
macis temporali,
60. *Non spiritali tantum jurisdictione-*
ni, subjettam;

61. *absol.*

- 61. Absolvit auctorem excommunicatum ;
- 62. Nisi absolutio ad Papam vel Ordinarium specialiter spectaret.
- 63. Exequitur sententiam suam ;
- 64. Sed intra annum duntaxat ;
- 65. Et, si delegatus sit ab inferiore ;
- 66. Vel executionem mandat alteri ;
- 67. Ad parendum obligato ; etsi illam sciat injustam ;
- 68. Adhibita tamen triplici distinctione.
- 69. Demum imporat auxilium brachii Curia secularis ;
- 70. Qua id legitime petatum delegato denegare ;
- 71. Aut de ejus sententia justitia cognoscere non potest.

56. **U**T, quæ officii sunt, causæ sibi commissæ cognitione, definitioneque delegatus exequatur, ei adjecta est Potestas: vi cuius Primò, citat partes, & legitime citatas, si contumaciter comparere aut ejus mandato aliàs parere recusent, opportunis remediis compellit, *c. De causis 4. §. fin. & c. Præterea 5.*

57. Secundò, ea omnia facit, sine quibus exequi nequit mandatam sibi jurisdictionem: & hanc vel processum causæ impediens aut malitiosè retardans, punit; quia, sicut, aliquò prohibitor, prohibita censentur omnia, per quæ ad illud pervenitur, *Reg. Cum quid 39. in 6. Glossa in c. cit. sic*, facta causæ delegatione, permisa delegato censentur omnia, quæ necessaria sunt ad ejus impletionem; quòd aliàs ejus potestas inefficax foret, & facile eluderetur; cum, mandans principale, mandare etiam accessoria, & finis executionem committens, etiam media committere censeatur; ne mandatam & potestas reddatur inefficax & facile eludatur, *c. Præterea cit. & ibi DD.* Unde Tertio, prædictos coercere potest

ac debet pœnis Juris, si quæ istò sunt constituta. *S. fin. cit.* cum iudex lege sive Jure neq; severior neq; clementior debeat esse, *Novell. 82. cap. 10.* Si verò Jure statuta non sunt, arbitrariis v.g. excommunicationis aut interdicti sententiis, *c. 1. ibi Distinctione Ecclesiastica*, aliisque pœnis: in quibus tamen investigandis infligendisque adhibenda moderatio & ratio habenda est; non tantum facti, istiusque circumstantiarum, sed etiam qualitatis personarum; ut v.g. in Episcopum, tanquam constitutum in dignitate Pontificali, propter reverentiam sacri officii, quod exercet, mitius quam in clericum inferiorem, & gradatim procedatur, *v. Sanè 11. c. Pastoralis 28. pr. & c. Quia Pontificali 2. in 6.* quibus Episcopo, propter rebellionem & contumaciam, primò Ecclesie ingressus aut sacerdotale ministerium interdicti: dein pœna suspensionis ab officio infligi: & his non proficientibus, demum censura aggravari, & in eum ferri sententia excommunicationis, vel terræ, ejus jurisdictioni subiecta, interdicto subijci jubetur: *Nisi forte aliter fieri suaserit nimia contumacia protervitas seu culpa*; quæ verba *c. Quid cit.* adduntur. Unde

59. Dubium moveri solet, an ob contumaciam Episcopi interdicto supponi à delegato possit diœcesis, subiecta ejus jurisdictioni solum spirituali: quod cum Felino in *c. Sanè cit. n. 2.* Covarruv. in *c. Alma p. 2. §. 1. n. 4.* & aliis affirmat Suarez de Censur. disp. 36. f. 3. n. 7. cum propter *c. cit.* textum: tum verò; quòd non appareat ratio, ob quam interdicto, quod est pœna spiritualis, supponi possit terra subdita temporalis, & non etiam spirituali duntaxat ejus potestati. Ita, & satis probabiliter, isti. Sed non minori probabilitate Negativam cum Panormit. in *c. Sanè cit. n. 6.* & aliis Interpp. re-

- terpp. relatis amplectitur Laiman *ibid. n. 2.* eamque non malè defumit ex ipso *c. cit.* textu, quò interdictò supponi posse dicitur terra, quæ ad Episcopi jurisdictionem pertinet *Specialiter*, quæ vox cum magis congruenter ad jurisdictionem, quàm ad interdictum referatur, sensum facit, si terra alium dominum non habeat; adeoque subjecta sit Episcopi jurisdictioni temporalis. Neque ex eo, quòd interdicere possit terram subiectam temporali, rectè inferitur idem posse in subditam soli jurisdictioni spirituali; cum de illa id Jure expressum sit, *c. 1. de Postul. Pralar. & c. Si sententia 16. de Sent. excom. in 6.* non etiam de ista: pro qua proinde militat communis Regula; quòd propter alterius culpam nemo sit puniendus, *arg. l. Non debet 74. & l. Factum 155. ff. de R. I.*
60. Quartò, absolvere delegatus potest actorem, post rescripti impetrationem excommunicatum ob causam pertinentem ad eam, ad quam delegatio est facta; quia, ut dictum, Papa delegandò causam regulariter etiam delegasse censetur accessoria, & ad eam expediendam necessaria, *c. Præterea cit. & c. Prudentiam 21. §. Sexta*: Nisi tamen excommunicatio sedi Apostolicæ specialiter esset reservata; cum enim, quæ à Principe ita referata sunt, in alium sine expressa commissione non transeant, *c. Quodd translationem 4. de Offic. Legati & l. 1. pr. ff. de Officio ejus, cui mand.* ab hujusmodi excommunicatione actorem absolvere delegatus, vi commissionis causæ generalis, non potest, per *§. cit.* textum & ibi notata à Panormit. *n. 4. & Viviano V. Si verò.*
61. Dixi etiam, *Ob causam pertinentem ad delegationem*; cum enim regulariter excommunicatus absolvendus sit ab eo, à quo ligatus fuit, aut ab istius superiore, *c. Pastoralis 11. §. Præterea*

de Offic. Ordin. ob causam, à delegato diverfam ad eamque non pertinentem, ab Ordinario excommunicatus pro absolutione ad istum, tanquam proprium superiorem & censuræ auctorem, est remittendus. Quod si iste illum absolvere malitiosè recuset, tum demum eum absolvere ipse delegatus potest, *§. cit. Malitiosè* inquam; quia, si Ordinarius absolutionem actori excommunicato dedit solum negaret; quòd in contumacia persistat, & Ecclesiæ mandatis parere recuset, absolvi etiam à delegato non posset; ac proinde vel ab agendo impellendus, & Papa informandus esse de statu causæ: vel, si necessitas absolgeret, quòd causa, ut aliquando matrimoniales, dilationem non admittat, excommunicatus à delegato ad residuam sive ad præsentem tantum actum iudiciale exercendum, ut istò peractò in excommunicationem reincidat, absolvi posset; quia hujusmodi absolutio, hòc ipsò, quòd excommunicatio non absoluit, sed solummodo ad tempus sibi nicum tantum effectum, ob speciem causæ potius quàm ipsius excommunicationis favorem relaxetur, Ordinarii jurisdictioni parum præjudicatur, Laiman *in §. cit. n. 6. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 85.* ubi, ita regulariter testes, non rò actores absolvi consueverunt, ut notat ex Decio *in §. cit. n. 4.*

Quintò, delegatus Papæ non tantum de causa sibi commissa cognoscere & pronuntiare, sed etiam (quantum officio suo functus esse videri possit, *c. At si clerici 4. in fine de Judic. & l. Jurdex 55. ff. de Re judic.*) à se latam sententiam, si velit, ipse exequi, *c. Significasti 7. intra annum* potest, *c. Quærenti 26. Intra annum*, inquam, quia et si rescriptum iustitiæ, quando certum tempus non definitum, & aliud, ei con-

erarium, à Principe impetratum non est, perpetuum sit, *c. Si autem 9. § l. Fal- sò 2. C. de Rescript.* Glossa in *c. cit.* & Panormit. in *c. Quarenti cit. n. 7.* & quando eò data jurisdicção ad certum tempus restricta non est, semper duret: post latam tamen sententiam ad istius executionem sibi commissam jurisdictionem tantùm retinet per annum, *c. Quarenti cit.* quò elapsò, licet sententia executioni mandata non sit, uti etiam, si anò nondum elapsò executio peracta sit, antè expirat, *c. In literis 9.* dummodo tamen reus condemnatus sententia plenè paruerit; si enim paulò post ab ea recedens victorem adversarium denuo turbaret, delegatus jurisdictionem reassumere, & reum ad executionem integrè perficiendam & stabiliendam compellere posset, Glossa in *c. cit. V. Ad integrum* Panormit. *ibid. n. 6.* & Laiman *n. 3.*

Dixi, Paulò post; quia, si ex intervallo primùm turbaretur, delegatus, clausulà exequendi & defendendi potestatem ei perpetuante non munitus, turbatum tueri amplius non posset; ac proinde hòc casu, uti etiam, si sententia ad executionis effectum à delegato intra annum non perduceretur, illi ad Ordinarium vel alium, qui jurisdictionem ad id se extendentem haberet, esset recurrendum, Molina *Tract. 5. de l. § l. disp. 26. n. 1. & 2.*

65. Dubium hòc locò & controversa est, an sententiam suam exequi intra annum etiam possit judex ab inferiore Ordinario v.g. ab Episcopo delegatus. Quòd cum Bartolo in *l. A. D. Pio 15. ff. de Re judic. n. 14.* negat Maranta *de Ord. judic. p. 4. disp. 5. n. 45. § p. 6. de Execut. n. 4.* propter *l. cit.* textum, quòd datorum judicum sententiam ab his, qui eos dederunt; ac proinde ab Ordinario delegante exequendam, habetur: quæ Ju-

ris dispositio, licet in summi Principis delegato, non procedat, quoad inferiorum tamen delegatos correctà non est Jure Canonico; cum istius textus *c. Significasti § c. Quarenti cit.* de solo Papæ delegato loquantur. Sed omnino probabile est, sicut hunc, sic etiam ab inferiore delegatum, Sententiam suam exequi intra annum, de Jure saltem Canonico posse: nisi executionem delegans sibi specialiter reservârit, ut cum Glossa in *c. Si quis 4. V. Ipsius de Foro compet.* Panormit. *ibid. n. 32.* & aliis defendunt Molina *disp. cit. n. 5.* & Barbosa in *c. Significasti cit. n. 2.* eâ permoti ratione; quòd, causæ commissione alicui absolute factâ, omnia, quæ ad eam expediendam & ad ultimum effectum producendam requiruntur, ac proinde etiam executio commissa censeatur. Unde etiam, hujusmodi delegati iurisdictionem latâ sententiâ, non quoad actum exequendi, sed tantùm, quoad actum cognoscendi expirare, dicit laudatus Panormit. *n. 39.*

Neque obstat *c. Si quis cit.* partim; quia eò non agitur de iudicib⁹ delegatis: sed de arbitris Juris, electis ex causa suspicionis, ut in *c. Significasti cit.* notat Gonzalez *n. 11.* partim verò; quia eò non negatur, delegatum ab Ordinario à se latam sententiam exequi posse, si causâ ipsi absolute, sed tantùm si ipsi sola cognitio committatur, Laiman in *c. Si quis cit. n. 3.* ubi addit, cum hæc res valde controversa sit, in praxi Consuetudinem loci & verba Commissionis ante omnia consideranda & observanda.

66. Sextò delegatus Apostolicus, si sententiam suam exequi per se aut ministros suos non possit, aut non velit, ejus executionem alteri, & quòd frequenter solet, judici Ordinario demandare; & quia in causâ sibi commissa major

& superior illò est, *c. Sanè cit.* cum re-
nitentem ad preendum & exequendum
compellere censuris potest; ut iste sen-
tentiam exequi teneatur: licet eam esse
injustam, hoc est, contra partis litigantis
jus latam, privatim sciat, per notabilem
textum, *c. Pastoralis* 28. cujus §. *Quia*
verò Innocentius III. Episcopo Helienti,
consulendò scilicet, *An, si Ordinarius,*
cui executio sententia demandatur, ipsam
esse injustam cognoverit, debeat eam exe-
cutioni mandare, disertè respondit;
Quòd, cum Ordinarius teneatur obsequi
delegato, etsi sciat sententiam illam in-
justam, exequi nihilominus teneatur ean-
dem: nisi apud eum, delegatum, effice-
re possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.

Sed hujus §. sicut verba omnino per-
spicua, sic decisio Juri & rationi contra-
ria esse videtur. Illi; quòd *c. Si quando*
5. de Rescript. ipsius Summi Pontificis
mandatò, si injustum existimet, donec
rescribens consulatur, superfedere Ordini-
narius permittatur: *c. Super eo* 2. de Crimi-
mine falsi textu à Lucio III. disertè com-
mendatur prudentia Episcopi, senten-
tiam autoritate falsarum literarum la-
tam exequi nolentis: & *c. Inquisitioni*
44. de Sentent. excommunicat. ex ejus-
dem Innocentii Papæ rescripto, nullitati
matrimonii à se contracti conscius,
sententiam, pro ejus valore latam exe-
qui non teneatur, nec possit, etiamsi
compellatur sub pœna excommunicatio-
nis. Isti verò sive rationi; quia injusto
mandato superioris non est parendum,
c. Sollicitudinem 54. §. *Si verò de Appel-*
lar. quin ei resisti potest, *l. Prohibemus*
5. §. *l. Defensionis* 7. *C. de Jure fisci.*

67. His tamen non obstantibus, §. *cit.*
decisioni firmiter inhaerendum, cum In-
nocentio *ibi*, Navarro *in c. Cum contin-*
gat 24. de Rescript. Remed. 1. n. 7. Co-
varruv. *Lib. 1. Var. cap. 1. n. 4.* aliisque

Interpp. & DD. *in §. cit.* docent Barbo-
sa n. 12. & Gonzalez n. 3. partim; quòd
delegatus in causa sibi commissa quòvis
Ordinariò sit major, *c. Sanè* 11. §. *cit.*
de majorum autem sententiis, juxta an
injustè latae sint, judicare inferioribus non
permissum, sed eis acquiescendum sit,
l. Si Prator 75. *pr. ff. de Judicium* 21.
Adversus 6. *C. Si adversus rem pœna,*
partim verò; quòd, si Ordinarius illi
demandatam executionem sententiam
hanc injustam existimat, denegare possit,
facile perverterentur judicia, & sen-
tentiarum executio ab executoribus, & con-
scientiam in contrarium habentibus, pre-
sistentibus impediretur aut protraheretur.

Pro istius tamen, ita firmatae de-
cisionis aliqua declaratione apud DD. no-
cepta & probè notanda est tergeminæ
distinctio.

Prima inter sententiam, quæ solen-
modo injusta & eam, quæ irrita & nulla
est, sive; quòd autoritate falsarum
literarum, vel contra Jura mandata,
vel non servatò Juris Ordine sit lata;
quarum posteriorem; quòd eam dele-
gatus non, ut judex, tulerit, *arg. c. In-*
terru 10. de V. S. executioni non manda-
dam, evincunt allegata in contrarium, &
DD. passim sustinent, cum Felino *in b.*
cit. n. 28. & Panormit. *ibid. n. 4.* prio-
rem verò, si ejus injustitia notoria non
sit, & neque ejus error ostendi, neque
ab executionis onere liberatio à delegato
impetrari possit, insuper habità privata
scientià, executioni mandandam, evincit
§. *cit.* decisio, & pro ista firmandà alle-
gatae rationes.

Altera inter causas, super quibus
sententia est lata; vel enim ista Civilis
est, vel Criminalis, eaque de immo-
centis vita & membris agitur? Si prius,
sententia super ea lata, juxta §. *cit.* ab
execu-

executore saltem Mero, ut mox dicetur, mandanda est executioni. Si posteri⁹, sicut eam secundum allegata & probata contra certam scientiam privatam ferri, sic etiam executioni mandari à justitiæ ministro non posse, cum *cit.* Felino *n. 24.* & aliis DD, ostenditur *Lib. 2. Tit. 27. art. 4.*

Tertia inter ipsos executores, Merum, cui solummodo factum sive causæ jam plenè cognitæ ac decisæ executio, v.g. traditio possessionis est commissa, *l. Executores §. C. de Execur. rei judic.* & Mistum, cui sententiæ sive rei judicatæ executio commissa est cum aliqua cognitione, Glossa in *§. cit. V. Esi sciat*, & Imola *ibid. n. 19.* de quorum priore proposita decisio procedit; posteriorem autem, sive mixtum executorem, licet exceptiones, sententiæ justitiæ directè respicientes, admittere etiam ipse non possit, admittere tamen & cognoscere potest de impediendis aut minuendis executionem; ut est v.g. compensationis exceptio opposita ei, qui imperat solutionem &c. Laiman in *§. cit. n. 7.* & Gonzalez *cit. n. 3.* Atque ex his corrui ratio allata contra decisionem.

Neque huic aduersantur *cit. text⁹*: imprimis *c. Si quando §. esto enim*, sicut istò ad Papam recurri, sic etiam ab onere executionis liberatio peti possit: tamen, si non impetretur, ei non resistendum sed obediendum est, juxta *§. cit. §. c. Si quando §. hic*: deinde, *c. Super eo 2.* quia fallarum literarum autoritate latam sententiam executioni non mandandam, jam est insinuatam: denique *c. Inquisitioni 44.* quia executio sententiæ istius textùs intrinsecè mala & de re, humanæ potestatis præcepto aut dispositioni non obnoxia, est

69. Septimò demum, à Papa delegatum judicem in sententiæ à se latæ executione aduersus contumaces, &

illam impediens non tantum censuris aliisque ejusmodi remediis uti: sed, si illa non proficiant, Brachii etiam Secularis auxilium implorare posse, Juris est omnino explorati.

Dubium tamen est, an auxiliò illò uti etiam possit delegatus, speciali clausulà ejus implorationem permittente, non munitus. Ratio dubitandi oritur ex *c. Ut officium 11. §. Compescendi, V. Denique, de Hæreticis in 6.* quò textu, id Inquisitoribus contra Hæreticos specialiter permitti, videtur: & ex eo; quòd Apostolicis mandatis inferi aliquando soleat clausula, *Invocatò etiam, si opus sit, auxiliò brachii secularis*, non obscurò argumentò, id sine speciali commissione delegatis non licere.

Nihilominus, ejus invocationem delegatis, quando vel causam expedire vel sententiam exequi aliter non possunt, permissam, indubitatè defendunt Panorm. in *c. Significasti cit. n. 8.* Decius *ibid. n. 4.* Covarruvias *Pract. cap. 10. n. 1.* & alii DD. multi, quos referunt Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 106. n. 39.* Feliciano *liva de Foro Eccles. p. 2. q. 24. n. 2.* & Gonzalez in *c. 1. cit. n. 15.* id desumentes partim ex textu *can. Adm. stratores 23. q. 5. ibi, Quoties ab Episcopis & Ecclesiasticis viris conventi fuerint*: quibus verbis tam delegati quàm Ordinarii judices comprehenduntur: partim ex ratione; quòd brachii secularis auxilium invocare possit quilibet judex Ordinarius, *c. 1. §. c. Quoniam 14. in fine de Offic. Ordin.* Cur non Papæ delegat⁹, qui in causa sibi commissa quocùnque Ordinariò est major.

Neque aliud persuadet in contrarium allegatus textus; quia non nititur speciali ratione; ut, quòd Inquisitoribus, non etiam aliis, si opus sit, permissum censetur.

I i i 3 Neque

Neque etiam; quòd id aliquando in literis exprimat; quia, quæ de Jure in- sunt, exprimi aliquando solent, ut magis apprehendantur: & cum non exprimuntur, tacite subintelliguntur, Molina *cit. diff. 26. n. 2.* hanc autem facultatem de Jure inesse, patet ex eo; quòd alias delegati potestas sæpè esset inefficax, & sententiæ mandari non possent executioni, Panormit. & Decius *l. cit.* ubi tamen monent, antequam ad extraordinarium hoc remedium deveniatur, contumaces censuris Ecclesiasticis coercendos, & Ordinarii Ecclesiastici auxilium invocandum: & si hæc non sufficiant, ex necessitate implorandum brachium seculare; quòd extraordinaria remedia mandatò permittit non censeantur, quamdiu sufficiunt ordinaria & meliora, *arg. e. Præterea 5.*

70. Dubium secundò est, an delegato Apostolico imploratum secularis brachii auxilium valeat denegari. Non posse, satis est receptum; cum enim id imploratum denegari nequeat Episcopis eorumque Vicariis & similibus judicibus Ordinariis, *e. 1. de Offic. Ordin. & c. fin. de Except. in 6.* multò minus denegari poterit Papæ, qui Ordinarius judex est ipsorum Ordinariorum & Christi fidelium omnium, *can. Cuncta per mundam g. 3. & c. fin. de Foro compet. &* à quo tanquam capite & fonte omnis inferior jurisdictione Ecclesiastica derivatur, *can. Ita Dominus 7.* ibi, *Ut ab ipso quasi quodam capite dona sua & potestatem in corpus omne disunderet, dist. 19.* Navarrus in *c. Novit 13. de Judiciis not. 3. n. 44.* Belarmin. *de Rom. Pont. Lib. 4. cap. 24.* & Suarez *Contra Reg. Anglia lib. 3. cap. 6. n. 17.* Unde consequens est, idem auxilium multò minus, quàm judicibus Ordinariis quibuscunque, denegari posse delegatis Apostolicis, cum; quia bi in cau-

sis sibi commissis omnibus Ordinariis sunt majores, *e. Sanè & c. Quia veri cit.* tum verò; quia in causis sibi commissis gerunt vices & repræsentant personam ipsius Papæ: qui in ipsis auxilii denegatione contemnitur, & honoratur exhibitione, *can. fin. dist. 93.* & secularem iudicem legitime imploratum & auxilium suum ad sententiæ executionem indebitè denegantem ad id exhibendum per censuras Ecclesiasticas compellere potest, *arg. e. & c. fin. de Maled. Decius in c. Cum non ab homine 10. de Judiciis n. 9.* Corruvias *Prætic. cap. 10. n. 1.* & Menich *de Arbitr. casu 452. à n. 1.*

Dixi Legitime imploratum; quia brachii sui auxilium secularis iudex petere & sine ullo sedis Apostolicæ contemptu denegat, si non legitime imploratur; sicut contingit Primo, si seculari iudici non constat, illud imploratum esse iudicem competentem, si veat causam delegatum; ac proinde, antequam potenti auxilium suum impendat, iudex secularis petere ab implorante potest exhibitionem literarum delegationis, ad certum se informandi, an auxilium imploratum Jure petatur ac debeat, *arg. l. Cum in Jure 31 ubi Panormit. n. 3.* Rotund. à Valle *Lib. 1. consil. 37. n. 2.* & Menich *Retinenda poss. remed. 3. n. 360.* Secundo, si processus ac sententia nulla, & si quisque litas manifesta sit, ob non servatum certum nem Juris; quòd v.g. delegatus ad certam reum non citatum processerit, aut sententiam tulerit sine prævia causæ cognitione, Felinus in *c. Cum sit 8. de Foro compet. n. 8.* Imola in *c. 1. cit. n. 6.* & Navarrus in *c. Cum contingat 24. de Rescript. Remed. 1. à n. 7.* Tertiò, si sententia iniustitia notoria sit; quòd ea liquidi & indubitati Juris expressò errore nitatur; cum talis sententia ipso Jure invalida nullaque sit, *e. Inter cetera 9. de Sent. & re judic.*

judic. ubi Felinus n. 5. & Petr. Barbosa in l. Maritum 12. ff. Solutio matrim. n. 51. Quartò, si sententia, pro cujus executione secularis brachii auxilium imploratur, nondum transit in rem judicatam; quòd appellatio ab ea ad delegantem legitime interposita, vel ad eam interponendam Jure indultum tempus necdum sit lapsum; quia, appellatione pendente, hòc ipsò; quòd delegati jurisdictio suspensa sit, c. Non solum 7. de Appellat. in 6. pro sententiæ executione secularis brachii auxilium nulliter imploratur, Alciatus in c. 1. cit. n. 112. & Navarrus cit. n. 7. V. Quartò. Quod tamen exaudiendum est de Appellatione, quæ utrumque, tam Suspensivum quam Devolutivum effectum parit; cum enim ea, quæ Devolutivum duntaxat effectum parit, non impediatur & moretur executionem, etiam non impediatur auxilii, ad executionem necessarij, implorationem.

71. Dubium tertio est, an judex secularis, cujus brachii auxilium imploratur, antequam hoc concedat, cognoscere valeat de justitia processus ac sententiæ; id enim affirmat Bartolus in l. Magistratus 12. ff. de Jurisdic. & alii quidam LL. Interpp. apud Imolam in c. 1. de Offic. Ord. n. 16. quòd ex officio suo curare possit ac debeat, ne executione vel auxilio suo injustitiæ cooperetur. Sed hæc in re Interpp. illi graviter errarunt & impegerunt in Jus Ecclesiasticum: quò in causa criminis hæreseos curiæ & judici seculari ullam cognitionem non competere, planè liquet ex c. Ut inquisitionis 18. de Hæret. in 6. cujus §. Prohibemus à Bonifacio VIII. disertè cautum est; Ne ipsi, Judices seculares, de hoc crimine quoquò modò cognoscant, & ex Constitutione Gregorii XIV. quæ incipit Cum aliàs edita Calend. Junii 1591. ibi, Neque in ea cognitione de crimine hæreseos, curia se-

cularis quoquò modò se intromittat: cujus à Papa utroque ratio redditur; Cum crimen merè Ecclesiasticum sit, de eòque cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat. Quæ ratio cum de omnibus Ecclesiastici fori causis procedat, curiæ & judicibus secularibus, sicut in hæreseos, sic etiam in aliis causis merè Ecclesiasticis de fabricatorum processuum & latorum sententiarum justitia ullam cognitionem non competere, sed meri executoris & exhibendi, quod postularum est, auxilium immine, omnino evincit, juxta c. 1. de Offic. Ord. & c. fin. de Except. in 6. textus. Ratio ulterior est; quòd de spiritualibus & Ecclesiasticis causis seculares curiæ ac judices, nec principaliter nec incidenter, cognoscere permittantur, c. Decernimus 2. de Judiciis c. Tuam 3. de Ord. cognit. & c. Si judex 12. de Sent. excom. in 6.

Quare, sicut Ordinarius Ecclesiasticus, sic etiã secularis judex Apostolico delegato, pro executione sententiæ, cujus nullitas aut injustitia notoria non est, ad se recurrendi, auxilii sui brachii concedere omnino tenetur, & perinde ut Ecclesiasticus, sic etiam ipse se conscientiam in contrarium habere, prætereundum non potest, arg. c. Pastoralis 28. §. Quia verò cit. cum; ne sibi vendicet cognitionem Jure non competentem: tum verò; ne delegati judicium elusorium reddatur ac pervertatur, ut n. 67. est dictum. Quòd vel maxime procedit, quando seculare brachium delegatus implorat non, ut à se lata & rei judicata authoritatem jam consecuta sententia à seculari iudice mandetur executioni: sed eam exequi ipse vult & ne impediatur, adversus resistentes illius per officiales ac ministros suos assistentiam petit, Menoch. Adpisc. poss. remed. 6. n. 6. Oliva cit. q. 25. n. 22.

ARTI.

ARTICULUS VI.
De Cessatione Officii
& Potestatis Judicis
Delegati.

SUMMARIUM.

72. Cessat hoc I. Ipso pronuntiante, sibi non competere jurisdictionem;
 73. Ut hanc reassumere nequeat.
 74. II. Ejus recusatione:
 75. Cujus causâ probatâ subdelegare non potest.
 76. III. Revocatione delegationis,
 77. Et re integrâ etiam subdelegationis.
 78. IV. Lapsu termini prefixi:
 79. Nisi partium consensus sit prorogatus.
 80. V. Morte delegati:
 81. Nisi delegatio facta sit dignitati &c.
 82. Imò etiam unius ex duobus simpliciter delegatis.
 83. VI. Morte delegantis re integrâ
 84. Etiam si illa ignoretur:
 85. Nisi delegatio facta esset nomine sedis Apostolicæ.
 86. Re non integrâ jurisdictione non expirat.
 87. Integra autem res esse desinit per citationem,
 88. Etiam parti nondum intimatam.
 89. Non per solam subdelegationem.
 90. Citatio etiam firmat jurisdictionem delegati ad Universitatem.
 91. VII. Morte rei, vi rescripti conveniendi.
 92. VIII. Demum negotio finito.
 93. Sententiam, etiam nulliter latam, corrigere delegatus non potest:
 94. Nennullis casibus exceptis.

Puribus hoc modis fieri potest & lo-
 ler. Primò enim delegati officium
 ac potestas cessat per sententiam
 interlocutoriam ipsius delegati;
 si nimirum iste interloquendo pronuntiat
 vi rescripti, quòd v.g. ob vel subreptitè
 impetratum sit, sibi non competere juris-
 dictionem: eaque sententia ob non inter-
 positam appellationem transeat in rem
 judicatam, c. *Dilectus* 34. de *Præb. & digni-*
 tate enim, sive bene sive male pronuntiat
 officio suo functus censetur, c. *In hanc*
 9. & *l. Judex* 55. ff. de *Re judic. & juris-*
 dictionem amittit; ut officium judicis in
 eadem causâ reassumere, etiam partibus
 consentientibus, sine nova commissa
 non possit, c. *Significantibus* 38. quæ et
 una, delegatus, sicut in dubio de rebus
 rescripti, se viultius in causa judicium ob-
 tum pronuntiandò, si contra hujusmodi
 sententiam non appellatur, jurisdictionem
 nem acquirit, ut sententia & processum
 teneat, Panormit. in c. *Super littera* 20. de
Rescript. n. 11. in fine sic vicissim pro-
 nuntiandò, eam vi rescripti sibi non com-
 petere, si ab hujusmodi sententia non ap-
 pelletur, jurisdictionem, quæ ipsi sibi
 competeat, amittit: ex altera vero pro-
 te, consensus privatorum jurisdictionem
 quam non habent, dare non potest, *l. Pro-*
vatorum 3. c. de *Jurisdict. Glor. in c.*
Significantibus cit. *V. Procedere* Panorm.
ibid. n. 7. & Barbosa n. 7.
 Neque obstat; quòd post ejusmodi
 interlocutoriam pronuntiationem de
 consensu partium jurisdictionem reacqui-
 rere possit judex Ordinarius, per recep-
 ptam interpretationem *l. Quod* ff. de *Re*
judic. apud Brunemannum ibi
n. 1. quia inter hunc & delegatum lata
 disparitas est; cum iste per ejusmodi
 pronuntiationem omnem amittat: ille
 autem retineat jurisdictionem suam Or-
 dinariam. Cum ergo interlocutoria revo-
 catio

vocatio facienda sit per eum, qui habet jurisdictionem, *c. Si à iudice 10. de Appellat. in 6.* mirum non est; quòd illius revocatio fieri possit ab Ordinario, etsi nequeat à Delegato; quia ab isto, non etiam ab illo, prolata interlocutoria induxit amissionem jurisdictionis, Felinus in *c. Significantibus cit. n. 1.* Gratianus *Discept. Forens. cap. 155. n. 32.*

74. Secundo, delegati Apostolici officium cessat recusatione ejus tanquam suspecti: si ante litem contestationem causam suspicionis legitimam esse fuerit pronuntiatum; tunc enim, si à sententia contra se lata non appellavit, tanquam jurisdictione privatus, neque ipse procedere in causa, neque hanc subdelegare amplius potest, per *c. Si iudex 5. §. Post recusationem in 6. textum, Glossam fin. Franc. n. 3. & Joan. Monach. n. 3.* licet ante pronuntiationem de suspicionem cum consensu recusatoris: & antequam ea proposita fuit, etiam sine istius consensu, eam subdelegandò vices suas alteri committere potuisset, *c. cit. pr. ubi Glossa V. Proponuntur, Anchoranus n. 2. & Molina Tract. 5. disp. 23. n. 14.* quia ante propositam causam suspicionis non tollitur, neque suspenditur ejus jurisdictionis; ac proinde etiam potestas subdelegandi à Jure ipsi indulta, *c. Pastoralis 28. pr. & c. fin.*

Porrò, si delegati sint duo, cum clausula, *Si ambo non potestis, alter procedat*, de suspicionis uni objectæ causa cognoscere alter, sive conjudex non recusatus potest, *c. Si contra 4. in 6.* si verò tantum unus, vel ex duobus delegatis uterque, tanquam suspectus, recusetur, ex partium consensu eligendi sunt arbitri, qui per potestatem à Jure ipsis concessam partibus ad probationes afferendas statuunt terminum, & de suspicionis causa, an justa & legitime probata, vel frivola &

frustratoriè objectæ sit, cognoscant & pronuntient, per textum *c. Cum speciali 61. de Appellat. c. Legitima 2. eadem Rubr. in 6. & in c. Suspicionis cit.* tradita ab Hostiensis *V. Omnia Panormit. n. 3. Imola n. 11. & Molina disp. cit. n. 10.* Nisi recusationis causa Jure expressa vel notoria sit; tum enim ei ab ipso delegato deferendum: sicut contrà, si manifestè injusta aut frivola sit, ad arbitros non recurrendum, sed ab ipso delegato rejiciendam, eaque insuper habità, in causa procedendum, cum Glossa *in c. Cum speciali cit. V. Justa* notat Laiman *ibid. n. 4.* Sed hac de re termo redibit *Lib. 2. Tit. 28. art. 5.*

Tertiò, revocatione delegationis, si res adhuc integra, sive judicium nondum captum sit, & revocatio delegato sit intinata; quia regulariter mandatum omnne, re integrà factà revocatione, finitur, Vallens. *ad hanc Rubr. 6. 5. n. 3.* Quin etiam, si res non amplius integra & judicium captum sit, judex Ordinarius causam alteri delegatam validè: & si ex justa causa id faciat, etiam licitè revocabit, Laiman *in c. Venerabili 37. n. 4.* Aliter res se habet in subdelegatione facta à delegato Papæ, totam causam sibi delegatam alteri committente; hic enim re non amplius integra, quando scilicet subdelegatus jurisdictione uti jam cepit, subdelegationem amplius revocare non potest; quia ita subdelegandò officio suo functus, & jurisdictione privatus censetur, per text. & Gloss. *in c. Venerabili cit. Totam, inquam, causam & Re non integra.*

Prius, quia, si solummodo partem causæ v.g. receptionem testium, aliàmve ejus partem v.g. sententiam, aut aliquid amplius sibi reservaret: vel totam quidem causam, sed ad suum beneplacitum, vel ad tempus v.g. absentia, subdelega-

Kk kk ret, ut

ret, ut aliquid jurisdictionis in eam causam retineat, etiam ipse causam subdelegatam revocare potest, *arg. l. Judicium 58. ff. de Judic. Glossa in c. Si delegatus 7. in 6. V. Revocandus Francus in c. Quamvis 6. in 6. n. 2. cit. Molina disp. 21. n. 4. & Barbosa in c. cit. n. 6.*

Posterior; quia, si subdelegatus jurisdictione uti v.g. per citationem nondum cepit, subdelegationem revocare, & causam ipse reassumere potest, *c. Quamvis cit.* ubi ratio redditur; quod quamdiu res integra est, & jurisdictionem exercere subdelegatus nondum cepit, jurisdictione efficaciter abdicata, & in delegatum translata firmataque nondum videatur, *cit. Francus n. 2. Molina n. 1. & Barbosa n. 4.*

78. Quartò, lapsu termini sive temporis, ad causam decidendam præfixi, *c. De causis 4.* quia jurisdictione non nisi ad tale tempus delegata, ac proinde ejus lapsu expirare censetur; ut sententia à delegato postea lata irrita sit: nisi tamen terminus, ante ejus lapsum, communi partium consensu fuerit prorogatus, *c. cit.*

Neque priori parti obstat; quòd de Jure saltem Canonico, licet judici Ordinario ad causam expediendam à superiore assignatù tempus lapsum sit, valida nihilominus sit sententia ab eo prolata. Cur non idem Juris sit in delegato Papæ; cum quocumque Ordinario major sit? *c. Sanè 11.* Sed non eadem ratio est utriusque; quia Ordinarius jurisdictionem non accipit termini assignatione, sed illam aliunde & antè accepit, solumque ei præscribitur tempus, ut causa citius expediatur: quod faciendò superior, cum jurisdictionem, quam ordinariam & perpetuam habet, auferre non censetur, valebit sententia etiam post lapsum termini ab eo, quamvis illicitè, prolata. Delegatus contrà

jurisdictionem primùm accipit per scriptum delegationis: cui proinde, si ad expediendam causam tempus adjectum, hoc lapsò, ejus jurisdictione extinguitur, et voluntate delegantis, Decius in c. Causa cit. n. 9. Laiman *ibid.* n. 1. & Gonzalez num. 6.

Neque posteriori; quòd privatum conventio jurisdictionem non habet tribuere & judicem facere nequeat, *Liberatorum 3. C. de Jurisdic. quia, extinguitur jurisdictionem dare nequeat, certamen, quam delegatus habet, ad longum tempus prorogare permittuntur, non enim causæ expediendæ terminus præfixus sit ob favorem litigantium ne alio decisió cum ipsorum incommodis & damno diutius protrahatur, huic facti renuntiare, *c. Si de terra 6. de Præscript. & tempus ulterius extendere poterunt. Consensisse 2. §. 2. ff. de Judic. ubi ibi dicitur, principali iussione, ubi delegante, jurisdictionis prorogatio specialiter inhibita sit, vel appareat, terminus non ob privatum favorem partium, sed publicum bonum, v.g. Ecclesiæ pastore parentis, præfixum, ut in c. De causa cit. cum Glossa V. Consensu & Decio interpretat Laiman n. 2.**

Quintò, delegati officium & potestas finitur ejus morte, si delegatio facta sit personæ, expressò proprio nomine, sicut, ut desumitur ex c. Quoniam 14. & 7. Decius *ibid.* tradunt Panormit. n. 4. & 7. Decius n. 3. & Laiman n. 1. Aliud esset, si delegatio facta esset expressò nomine dignitatis, v.g. *Causam committimus Episcopo vel Presbitero, tali Ecclesiæ Rectori vel Canonice, vel Cellario Universitatis;* tum enim jurisdictionem delegati morte non extinguitur, sed ad successorem in dignitate transiit, si defertè habetur, *c. cit.* etiam si res integra & causa nondum cepta esset, *cit.* aliisque Interpp. quos refert & sequitur Sanchez Lib. 1.

Lib. 8. de Matrim. disp. 27. n. 7. Ratio est; quia dignitas perpetua est, & renuntiatione vel morte personae nec extinguitur, nec mutatur, c. Si gratiose 5. de Rescript. in 6.

82. Quin etiam, morte unius, ex duobus vel pluribus ad eandem causam simpliciter delegatis, alterius officium expirat, per expressum textum c. Uno 42. quia, quando plures iudices delegati sunt, omnes simul procedere debent, l. Duo 39. ff. de Rejudicata. Nisi tamen aliud constaret ex tenore rescripti, v.g. addita clausula, Si non ambo vel si non omnes potestis &c. vel iudicium jam ceptum, proindeque res integra non esset, vel delegatorum unus vires suas ante mortem alteri commisisset; his enim casibus morte unius ex delegatis aliorum iurisdiclio non extingueretur, Laiman in c. Uno cit. n. 1.

83. Sexto, etiam delegante mortuo, re adhuc integra, c. Licet. 30. § 1. Et quia 6. ff. de Jurisdic. cum; quia universim mandatum morte mandantis, si res integra sit, expirat, c. Licet cit. § 1. Mandatum 15. ff. Mandati: tum verò; quia iurisdiclio in delegatum, donec ea uti ceptum, efficaciter translata non censetur, c. Quamvis 6. in 6.

84. Neque, ut aliqui existimant, inter est; quòd delegantis mortem delegatus ignoret; quia illius iurisdictionem, si ante mortem res integra est, nihilominus expirare, ex cc. cit. cum Speculatore Tit. de Offic. delegati §. Resat. n. 5. desumit Laiman in c. Gratum 20. n. 8. & Pontius Lib. 5. de Matrim. cap. 24. n. 2. quia hòc casu iurisdiclio in delegatum efficaciter translata non est; ac proinde expirat ex dispositione Juris, inter obitum scientiam & ignorantiam non distinguentis. Delegatus, inquam; quia, si delegantis obitus non ab isto solum, sed in eo loco publicè ignoraretur, ab ipso acta ex æqui-

tate, propter utilitatem publicam, valida forent, arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat. & §. Verumtamen post can. Infamia 3. quest. 3.

Excipiendus tamen est casus, quòd delegata iurisdiclio non Papae, quòd ordinariè, sed, quòd rarò solet, ipsius Dignitatis sive sedis Apostolicæ nomine committeretur; tum enim; quia ista nunquam perit, c. Si gratiose 5. de Rescript. in 6. Papam mortuò ejusque obitu publicè notò, delegati iurisdiclio etiam re adhuc integra non expiraret, ut cum Panormit. in c. Licet. 30. n. 7. Franco in c. Quamvis cit. in fine & aliis advertit Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 22. n. 44.

85. Si autem integra res non amplius est, & iurisdictione uti delegatus jam ceptum, ea delegantis morte non extinguitur, sed perpetuatur, c. Relatum 19. & c. Gratum 20. quia iurisdiclio ipsò sui exercitio in delegatum efficaciter translata, in eòque firmata videtur, Vivianus in c. Relatum cit.

86. Dubium hòc locò & satis difficilis resolutionis controversia est primò, quando iurisdictionis usus ceptus, ac proinde res non amplius integra sit: cui ansam præbet non obscura antinomia c. Relatum 19. & c. Gratum 20. cit. quibus relatorum rescriptorum Apostolicorum priori Lucius III. Archiepiscopo Cantuariensi consulenti respondit, Quod si lris fuerit ante Prædecessoris obitum contestata, mandatum morte mandatoris, sive delegantis, nullatenus expiravit. Si verò ante litis contestationem decessit, non est iudicibus, quos delegaverat, ex delegatione huiusmodi procedendum. Posteriori verò Urbani III. responsum est, Quòd cum citatione facta negotium sit quasi ceptum, à delegato potest ac debet in causa procedi: tenebitque, quòd iussu sua fuerit pravià definitum.

kk kk a Horum

Horum itaque textuum hunc aut illum secuti DD. ut res integra esse definat, & delegati Jurisdictione perpetuetur, aliqui cum Germonio *Lib. 1. Animadvers. cap. 5.* & Arellano *Lib. 1. Antinom. 9.* exigunt litem contestationem, juxta *c. Relatum cit.* contra solam citationem sufficere, cum Panormit. in *c. Relatum cit. n. 5. & 6.* Felino *ibid. n. 12.* & Decio *n. 29.* volunt Socinus in *l. Et quia cit. n. 75.* Maranta *de Ordine Judic. p. 4. dist. 5. n. 61.* & multis aliis relatis, Sanchez *Lib. 8. de Matrim. dist. 28. n. 9.* propter claros textus *c. Gratium cit. & c. fm. de Offic. Legati*, ibi, *Si citatio non precessit.* Rationem reddunt; quod ad firmandam & perpetuandam jurisdictionem exigatur & sufficiat, à delegato exercitum esse aliquem actum substantialem erga partem: primus autem ex substantialibus ejus actibus citatio sit, *c. Quoniam 11. de Probat.* ibi, *Conscripta in diversa judicij acta, videlicet citationes, dilaciones &c.* Atque hanc doctrinam usu & praxi, dubii Juris optimè Interpretere, receptam testis est contrariæ opinionis perquam eruditus assertor Gonzalez in *c. Gratium cit. n. 4.*

Quæ autem ratione *c. Relatum & c. Gratium cit.* decisiones ab Antinomix vitio purgandæ & reducendæ in concordiam sint, mirè torquet ingenia DD. adinventis aliis aliisque illarum conciliationibus non acquiescentiū & ne in eodem Decretalium Volumine contrarietatem & Juris correctionem admittere cogantur, novas investigandi labore improbè necdum supersedentium, ferèque secutorum conciliationem Panormit. & Felini in *c. Gratium cit. n. 1.* qui *c. Relatum cit.* textum suppleunt, in eoque subaudiunt dictionem *Maximè*; ut ex mente Lucii III, integra res esse definat per citationem, & maximè per litem contestationem. Sed contra apertum tenorem & verba Papæ, cum suppletionem ista citationem & morte

excludentis, dum ait, *Si delegans ante litem contestationem, ac proinde post citationem, decessit, non est judicibus, quos delegaverat, ex delegatione procedendum.*

Quare, licet ingenio DD. conatus non displiceant, ad veritatem tamè judicij magis propius accesserunt, qui cum Glossa in *casu c. Relatum cit.* præ oculis habuerunt controversiam Veterum Legistarum; quibus licet mandatum omne, ac proinde etiam delegationem Apostolicam, delegantis re adhuc integra sive negotio nondum captò, morte expirare consentiant, non parùm tamen dissentiant, an res integra esse definat litem contestatione, ut cum Glossa in *l. Et quia cit. V. Antequam* Albericus in *l. More s. ff. de Jurisdi. n. 20.* vel sola rei citatione, ut in *l. Inter eos*, cum Bartolo *n. 15.* Fulgofus *n. 20.* & Joffon *n. 58.* sustinuerunt: quos secuti Decius & Laiman uterque in *c. Gratium cit. n. 1.* decisione Lucii III. *c. Relatum cit.* additum, ajunt; quod, licet ille secundum Legistarum Opinionem priorem, ut res integra esse definat & delegati Jurisdictione perpetuetur, exigat litem inter partes contestationem: iste tamen secundum posteriolem expofcat solam rei citationem; ut, si ista ante delegantis obitum facta sit, negotium captum, resque non amplius integra, & delegato firmata Jurisdictione intelligatur; ac proinde, quod *Præm. dissert. n. 105.* innuit, *c. Gratium cit.* ab Urbano decisa vetus Legistarum controversia, & à Lucii Prædecessoris sui decisione fuerit recessum, atque ad delegati Jurisdictionem perpetuandam hodie sufficiat citatio, *arg. c. 1. de Constit. in l. & l. Sed & posteriores 28. ff. de LL.*

Neque propterea *c. Relatum cit.* textus in Decretalium Volumine redundat quia huic utiliter insertus nihilominus est; ut delegante, re integrâ, mortuo delegati Jurisdictionem omni Jure expirante & in re

& in re, inter Legistas controversa, ipsos summos Pontifices diversimodè sensisse, Jusque antèrius fuisse correctum, planiùs constaret. Ex ista tamen

68. Dubium & controversia altera nascitur, an, ut res non amplius integra sit, & jurisdictione delegato firmetur, necessarium sit, ut citatio pervenerit ad notitiam partis: quod cum Zabarella in *Clement. 2. Ut lite pend. n. 11. opposit. 6.* Baldo in *c. Licet 30. n. 4.* & Molina *Tract. 5. de l. & l. disp. 19. n. 3.* aliqui affirmant; quòd *c. Gratum & c. fin. cit.* ad perpetuationem exigatur Citatio, quæ facta non censetur, antequam parti intimatum sit mandatum de comparando; quia verba accipienda sunt cum effectu, *c. Relatum 4. de Cleric. non res. id.* propterea enim jurisdictione præventa, & lis pendere non dicitur, antequam pars citata fuerit cum effectu, *Clem. cit.*

Verùm etsi cum præventionem & litis pendentiâ res ita se habeat, solò tamen citationis decretò à iudice expeditò, quantumvis parti intimatum non sit, jurisdictionem perpetuari, cum Glossa in *Clement. cit. V. Ad partem, in c. Gratum cit.* docet Panormit. *n. 3.* Felinus *n. 5. in l. More cit. Decius n. 48.* & alii Interpp. ac DD. quos sequuntur & referunt uterque Barbosa, Petrus in *l. Si quis 7. ff. de iudicis n. 34.* Augustinus in *c. cit. n. 5. & cit. Sanchez n. 13.* cum propter textum *c. Gratum cit.* quòd, *Propositò citationis editò,* res non amplius integra, ac proinde delegata jurisdictione firmata & perpetuata censetur: tum verò; quòd ex tribus citationis partibus, scilicet mandatò de parte citanda, istius executione per nuntium & huius, se citationem intimasse, asserentis relatione, sola prima jurisdictionis & ipsius iudicis actus sit; ac proinde ea sola sufficiat, ut iudex dicatur usus jurisdictione

ne: quod ad istius perpetuationem exigitur, *c. Licet & c. Quamvis cit.*

Neque obstat: imò non est paritas Perpetuationis cum Præventionem & Litis pendentiâ; quia Præventio, respectu partis, & Litispendentiâ, inter hanc & eius adversarium, non inducitur, nisi per actum exercitum in persona eius, quòd tanquam jurisdictioni subiectus citatur, *Clem. cit.* Perpetuatio autem jurisdictionis inducitur actu, per quem iudex illà usus censetur: quòd solò decretò, sive mandatò de citando expeditò, habetur, *cc. antè cit. Glossa in c. Ne aliqui 10. de Hæreticis in c. V. Incepta, Barbosa in l. cit. à n. 38.*

89. Dubium tertio est, an iurisdictio perpetuetur per subdelegationem, à delegato factam ante obitum delegantis. Ratio dubitandi est; quòd subdelegandò delegatus uti iam cæperit iurisdictio: ne: quòd solùm ad illius perpetuationem exigitur, *c. Licet & c. Quamvis cit.* Verùm, etsi hâc ratione permoti Hostiens. in *c. Licet cit. n. 2.* & Sylvester *V. Delegatus q. 6.* cum Glossa in *c. Si à subdelegato 14. V. Processum in c. eam perpetuari affirmant,* meliùs tamen id negant Panormit. in *c. Licet cit. n. 4.* Francus in *c. Quamvis cit. n. 2.* Socinus in *l. More cit. n. 78.* & alii Interpp. quos *cit. Sanchez n. 18.* & Haunold. *Tom. 5. de l. & l. tract. 1. n. 11 2.* sequuntur. Ratio est; quia subdelegatio non est actus judicialis, ideòque extra delegantis territorium fieri potest, teste Felino in *c. Relatum cit. n. 12.* neque per eam jurisdictione circa negotium commissum, aut in partem uti delegatus cæpit, ut res sive negotium geri captum, quòd *l. Et quia cit. & c. Gratum cit.* vel res non amplius integra sit, quòd *l. Mandatum cit.* exigitur, dici possit: quæ causa est, cur etiam iurisdictio subdelegati, ante citationem à subdelegato factam, delegantis

K k k k 3

- gantis morte revocetur, ut *c. Licet cit. habetur.*
90. Atque hactenus de contentiosa jurisdictionis perpetuatione tradita, sicut in eo, qui ad unam tantum causam sive à Principe sive ab alio, sic etiam in eo, qui ad universitatem sive totum causarum genus delegatus est, procedunt; ut ejus etiam jurisdictio per delegantis obitum re adhuc integrâ expiret: eò autem, re non amplius integrâ, sive postquam jurisdictio per citationem uti delegatus caput, mortuò, quoad jam ceptam, & probabiliter etiam quoad alias causas perpetuetur, ut cum *cit. Laiman n. 8.* docet Haunoldus *cit. Tract. 5. n. 113.* ex ratione; quod ad Universitatem delegati jurisdictio, etsi revera delegata sit, postquam tamen in delegatum translata est, equiparetur Ordinariæ: quæ postquam per acceptationem acquisita est, concedentis obitu non expirat, per textum *c. Legatos 2. de Offic. Legati in 6. arg. l. Et quia etc.* & tradita à Panormit. in *c. Relatum cit. n. 4.*
91. Septimò, delegati officium & potestas finitur morte ejus, qui vi rescripti conveniendus erat coram delegato, *c. Significavit 36. de Rescript.* Nisi ante eius mortem lis contestata jam fuisset cum defuncto, vel iste conveniendus fuerit, ratione Comitatus, Prælaturæ, Ecclesiæ &c. ut *arg. c. Quoniam 14. docent Panormit. in c. Significavit. cit. n. 4. Joan. Andr. ibid. n. 14.*
92. Octavò, eadem finitur finitò negotiò, sive sententiâ mandatâ executioni, vel istius commissione, & aliquando sententiæ prolatione; ut locus hac in re, imò opus sit distinctione; vel enim à delegati judicis sententiâ appellandò ad superiorem provocatur, vel non? Si prius, ejus jurisdictione suspensâ causa devolvitur ad superiorem delegantem, *c. Dilectio*

§ 5. § 1. Eos qui 6. pr. C. de Appellat. Si posterius, decendii lapsu sententiâ transit in rem judicatam, *c. Consultatione 15. de Sent. & re jud. & Auth. Hæret. C. de Appell. & executioni mandatur, vel delegato ipsomet intra annum, c. Significavit 7. § c. Quarenti 26.* quò lapsò, vel executione ante finitâ delegati jurisdictionis expirat, juxta dicta *n. 64.* vel exceptio ab eo committitur judici Ordinariò: quò ejus negotium inchoante delegati jurisdictionis finitur, *c. In literis 9. quòd tali casu hanc à se abdicasse & in alterum subdelegatum, ex quo iste etiam caput transtulisse intelligatur, c. Significavit cit. ut adeò delegatus postquam deper causâ definitivam sententiam, sive bene sive malè, tulit, judicandi officio sit functus, & sententiam mutare non potest, *arg. c. Si compromissarius 37. § 1. verò, junctâ Glofâ V. Fundum de Offic. in 6. § 1. Si ut proponis 4. C. Quamvis & quando jud. Gonzalez in c. de literis 9. n. 3. & ibi Laiman n. 2.* Ubi Dubium movetur, an delegatus potest mutare & revocare etiam nequæ sententiam ipsò Jure nullam. Ratio dubitandi est; quòd talis sententiâ revocari, atque aliter pronuntiarî valet à iudice Ordinario, *l. Si expressum 13. ff. de Appellat.* cum id, quod nullum est, nullum habeat effectum, *l. Si se 46. ff. de Re judicata.* Sed aliter res se habet cum iudice delegato; cum enim iste, postquam sententiam, sive bene sive malè tulit, judicandi officio sit functus, novam sententiam dicere sine nova commissione non potest, *c. In literis § 1. Si ut proponis cit.* ex cujus textu distinetur causa, super qua delegatus die iurato, & contra absentem non citatum, ac proinde ex duplici capite nulliter, sententiam tulit, alteri judici committi à delegante potest. Unde consequens est, juxta*

jurisdictionem delegati, qui sententiam nulliter tulit, ipsa eius pronuntiatione expirasse, ut cum Innocentio *in c. cit. n. 2.* & Panormit. *in c. 1. de Sent. & re judic. n. 28.* docent Menoch. *de Arbitr. jud. lib. 1. q. 67. n. 21.* Gutierrez *Q. Canon. lib. 2. cap. 2. n. 9.* Laiman *cit. n. 2.* & Bruneman, *in l. cit. n. 3. & 5.* qui, id in summi Principis ad certam aliquam causam delegato procedere, aiunt; quod delegans de primo tantum definitionis actu sensisse videatur, *arg. l. Bonnes 89. §. 1. ff. de V. S.*

Neque hac in re paritas est cum iudice Ordinario; quia iste magis amplam ac stabilem habet jurisdictionem; eamque, super causa ferendo sententiam, aut illam alteri committendo, non amittit, sed retinet saltem in habitu ac radice: delegatus autem potestatem multo arctiorem ac restrictam habet ex dispositione Juris, *c. In literis & l. Si ut proponis cit. & ex mente ipsius delegantis: qui de primo tantum definitionis actu sensisse censetur, arg. §. 1. cit. cit. Laiman n. 3. & Bruneman. n. 1.*

94. Non desunt tamen à communi hac doctrina exceptiones & casus, quibus ex commissione acta & sententiam nulliter latam revocare, sicut iudex ordinarius, sic etiam delegatus potest.

Et primò quidem, hic revocare potest sententiam, cujus ab eo lata nullitas provenit ex non servata forma mandati; cum enim, qui istius fines excedit, aliud quam mandatum est, facere videatur, *l. Diligenter §. pr. ff. Mandati*, contra illius formam proferens sententiam, perinde ut, qui sententiam non tulit & jurisdictione sua non est usus, habetur; ut secundum mandati formam pronuntiare iterum possit instar compromissarii, formam compromissi non observantis, *l. Quid tamen 21. ff. de Recepti. arbitr. Pa-*

normit. *in c. In literis cit. n. 4. cit. Gutierrez n. 28. & Laiman. n. 2.*

Secundò, delegatus ad causarum Universitatem; quòd talis, ordinarii iudicis instar, ampliorem, quàm ad certam causam delegatus, habeat potestatem, & post sententiam jam latam atque executioni etiam mandatâ retineat iurisdictionem, Felin. *in c. cit. n. 1.* Menoch. *cit. q. 67. n. 31.* & Bruneman. *in l. Si ut proponis cit. n. 5.*

Tertiò, si delegatus non sit ad lites, sed solummodo ad alicuius gratiæ vg. beneficialis executionem; talis enim post executionem suam vg. provisionem clerico ex quocunque Juris aut Facti errore factam invalidè, errore cognitò, illi de novo & validè providere potest; quòd Papa, gratiæ executionem committens, de ea, quæ effectum sortiatur, sensisse eò ipsò videatur; quòd beneficium Principis oporteat interpretari latè, *c. Inter dilectos 6. de Donat. & l. Beneficium 3. ff. de Constitut. Princip. & gratiam permanere, arg. c. Si super 9. hic in 6. Panormit. cit. n. 28. & Menoch. q. cit. n. 33.* ubi notat, *c. In literis cit.* dispositionem in iudicialibus duntaxat procedere; quòd in extrajudicialibus nullitas actorum corrigi, sicut ab ordinario, sic & à delegato generatim possit, ut etiam agnoscunt Felinus *in c. cit. n. 1.* & Tiraquell. *in l. Boves cit. §. Hic sermone à n. 47.* Plures exceptiones dabunt Decius, Barbatia, *in c. cit. & Menoch. q. cit. à n. 8.*



ARTICULUS VII.
De Judicibus Conser-
vatoribus.

SUMMARIUM.

95. *Hi sunt iudices delegati à solo Papa,*
96. *Ex personis specialibus qualitatibus præditis,*
97. *Deputati ad aliquos defendendos ab injuriis ac violentiis:*
98. *Non quibusvis, sed notoriis duntaxat.*
99. *In non notoriis,*
100. *Et debitorum solutionibus Conservatores se non intromittunt.*
101. *Cum injuria notorietas dubia est, super ea interrogant reum,*
102. *Et recipiunt alias probationes.*
103. *Cum notorietas explorata est, contra reum,*
104. *Habitâ tamen ratione dignitatis Pontificalis,*
105. *Et jurisdictione justò latius non porrectâ,*
106. *Per seipfos, non per alios procedunt.*
107. *Differentia inter delegatos alios & Conservatores,*
108. *Amplitudo potestatis Conservatorum Religionum Mendicantium,*
109. *A S. Synodo Tridentina intacta,*
110. *Multum tamen diminuta Constitutione Gregorii XV.*

95. **D**elegatis iudicibus adnumerantur Conservatores; de quibus agitur, c. 1. c. *Quia Pontificali* 2. & c. *fn. in 6.* quòd, sicut delegatorum, c. *Relatum* 19. c. *Gratum* 20. c. *Licet* 30. *hic* & l. *Et qui*

6. ff. de Jurisdic. sic & Conservatorum officium quoad negotia nondum capta constitutis morte expiret, c. *fn. in 6. Officium*, ubi Glossa *V. Quorumcumque* Molina *Tract. 5. de I. & I. disp. 29. n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 201. in fine.*

Est autem Conservator iudex à Petro deputatus, ad defendendos aliquos ab injuriis & violentiis manifestis absque iudiciali causâ cognitione, c. 1. c. *fn. cit. pr. A Papa*, inquam, non à Prælatiis eò inferioribus sedisque Apollolice, etiam à Latere, legatis, *pr. cit. sine* Imperiali iure Conservator loci à solo Principe seculari supremo constituitur, *Novell. 8. cap. 4. & 13. & Novell. 134. Rubr. & cap. 1.* propter ampliatam potestatis, quæ in officio suo impedit à nemine Papâ inferiore; & ad omnes quoscunque, ipsius executionem impediendos, procedere potest, *Syretus Conservator n. 2. Azor p. 2. in fine. de cap. 34. q. 6. & cit. Molina n. 1.* Et qua causa

Conservatores constitui non possunt, nisi Episcopi hisque superiores prælati, Abbates, & dignitates vel personatus obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, c. *fn. cit. pr. de* ut communi Jure spectatò ad Conservatoris officium non admittantur Ecclesiarum Cathedralium canonici & Vicarii etiam generalis; quòd strictè dictum non obtineant in Ecclesiis illis perpetuam dignitatem in Ecclesiis illis non obtineant: neque etiam Priores conventuales & Superiores Mendicantium locales alii, ex *declaratione* S. Congreg. Card. negotiis Regular. præposita die 8. *Octob. 1617.* apud Barbolam de *Offic. & potest. Episc. alleg. 106. à n. 8.* Illi etiam, qui ad officium hoc admittuntur, esse debent in altero Jurium Graduatii: aut, si tales non sint, ejusmodi gradum insignem censorum, partibus non inspectam

pectum assumere, vigore *Constitutionis* Leonis X, quæ incipit *Regimini edita* 4. Nonas Maij 1515. cujus §. 9. memoratus Papa *Judices*, inquit & *Conservatores à sede Apostolica deputati, si in alio Jurium graduati non fuerint, assessorem partibus non suspectum, ab ipsis partibus vel istarum altera requisiti, assumere & secundum ejus relationem judicare teneantur*, ut refert, & *Assessoris Jurium periti*, Episcopo Theologo sedis Apostolicæ ad causam Matrimoniam delegato dati, exemplò ostendit *cit. Barbosa n. 15.*

97. Porro *Conservatorum*, Jure præscriptis qualitatibus præditorum, officium & potestas competit adversus quoscunque injustâ rerum invasione ablacione, infractione privilegiorum, aliisque injuriis aut violentiis manifestis damnificantes ac lædentes eos, quorum à Papa defensio eis est commissa, *Glossa in c. 1. cit. V. Conservatores*. Neque solùm adversus eos, à quibus istis ejusmodi damnum aut læsio est illata actû, sed adversus eos quoque, à quibus ea paratur & inferenda prævidetur; cùm defensione æquè, imò magis propriè inferendis, quàm actû jam illatis injuriis ac violentiis occurratur, *Glossa in c. cit. V. Defendere Franc. ibid. n. 7. cit. Sylvester n. 3. d. 4. & Barbosa*

98. n. 34. *Manifestis*, inquam, hoc est, notoriis Facti aut Juris notorietate; ut factum, quò damnum aut læsio illata est, ullâ probabili tergiversatione celari, vel exculatione ab injustitia defendi non possit; atque idcirco cesset omne dubium, exposcens cognitionem discussionemque judicalem, *cit. Glossa & in c. 1. cit. Anchoran. n. 5. Franc. n. 7. Molina n. 2. & Barbosa n. 18.*

99. Quare, si ita manifestum ac notorium non sit, aliquem fecisse id, quod cedit in injuriam ac læsionem eorum, qui-

bus *Conservator* à Papa datus est: vel, si factum quidem notorium, non tamen notoriè conjunctum sit cum injuria; quòd id non factum vel non injuriosum esse, cum probabilitate defendi queat, in eare se intromittere, de eaque cognoscere nequit *Conservator*, sed ejus cognitionem judicalem Ordinariis judicibus relinquere debet, adeò; ut, super non manifestis & judicalem cognitionem exposcentibus injuriis ac violentiis se intromittentis, *Conservatoris acta sint invalida, cit. c. fin. §. fin. Vantius de Nullit. ex def. jurisdicti. Ord. n. 167.* ipse verò incidat in pœnam suspensionis ab Officio per annum, *c. cit. §. Vices in fine*. Ratio est; quia *Conservatoris jurisdictio & potestas non competit super injuriis ac violentiis simpliciter: sed super qualificatis seu notoriis, cit. c. 1. & c. fin. pr.* quando autem *jurisdictio restricta est ad certam qualitatem, de ista constare necesse est, ut illa exercentur, Bartol. in l. Multùm 21. ff. de Condit. & demonstr. n. 2. & §. duo Barbofæ, Petrus in l. Si quis ex aliena §. ff. de Judiciis n. 148. & Augustin. alleg. cit. n. 18.*

Dubium est, an *Conservator pro-* 100.
cedere valeat adversus debitorem, solutionem non exhibentem iis, quorum illi defensio à Papa est commissa. Quod cum *Guidone Pap. decif. 18. n. ult. affirmat Rodriguez Tom. 1. Regular. q. 65. art. 12. eâ ductus ratione; quòd debiti solutionem, cùm posset, non exhibens injuriam inferat creditori; cùm generaliter omne, quod non jure fit, iniuria dicatur, pr. Jusit. & l. 1. pr. ff. de Injuriis: debita autem solutionis retentionem, quòd eâ creditoris jus lædatur, non jure fieri extra omne dubium sit: negât contrâ communis sententia DD. quos sequuntur *Gutierrez Lib. 3. Practic. q. 9. art. 8. & Barbofa alleg. cit. n. 41. fo-**

fidiori nixi fundamentò ; quòd Conservator jurisdictionem suam adversus iniurias & violentias non quascunque, sed manifestas duntaxat seu notorias & cognitionem iudiciale non exposcentes, valeat explicare, *c. 1. & c. fm. cit. pr.* processus autem adversus huiusmodi debitorem civilem iudicalem exigit cognitionem. Sed, ut ratio hæc omnino præponderet, & conservatoris jurisdictioni solutionis retentionem non subiectam evincat, quando debitor adversus creditorem, debiti infictione aliave exceptione eius petitionem excludendò se tuetur: casu tamen, quò liquidi & agniti debiti solutionem, cum deberet & sine notabili incommodo posset, exhibere malitiosè renuit, conservatoriâ auctoritate compelli verisimiliùs etiam ipse potest; quòd eius in creditorem iniuria omnino manifesta, atque idcirco locus sit dispositioni *pr. cit.*

101. Quodsi iniuriæ ac violentiæ notorietas non explorata, sed dubia appareat, Conservator de eâ summarie cognoscere; & reum, à quo illata est, citatum super ea interrogare, in eumque, iniuriam istiusque notorietatè sine tergiversatione vel excusatione confessum, procedere potest; quòd ipsâ eius confessione Juris notorietas inducatur, *c. Vestra 7. de Cohabit. cleric.* junctâ Glosâ *V. Notorium & c. fm. ibid.* Maranta *de Ordin. judic. p. 6. de Confess. n. 21.* & Farinac. *Prax Criminal. q. 21. n. 31.* Eòdem modò procedere adversus reum potest, si facti naturâ suâ iniuriôsè notorietatem confessus pro excusatione, à se id iure factum allegat, & hujus allegationis verisimilem non afferat probationem, *citt.* Glosâ *V. Conservatores* Farinac. *n. 50.* & Barbosa *n. 21.* quòd, cum notoriè delinquentes excusationes fere semper allegent, Glosâ *in c. Bona 23. V. Recepit.*

de Elect. arg. Nouell. 23. cap. 1. §. 1. vanum foret officium Conservatoris, si quando iniuria manifesta & notoria est, procedere non valeret contra reum, pro excusatione sua verisimilia non allegantem, *citt.* Anchoran. *n. 5.* Franc. *n. 1.* & Sylvester *V. cit. n. 3. d. 3.*

Si reus super iniuriæ notorietate interrogatus taceat, aut istam neget, super ea probationes, v.g. testium depositiones recipere Conservator potest ad findendam suam jurisdictionem; cum enim Conservatoris jurisdictionis & potestatis contra violentias & iniurias manifestas seu notorias non porrigatur, *citt. c. 1. & c. fm. pr.* ut adversus malefici auctores procedere valeat, necesse est, ut iniuriæ violentiæque notorietas sit explorata itaque jurisdictionem suam in personam à qua vis & iniuria, illata est, se extendere, vel causam ad iudicem Ordinarium remittendam eive relinquendam constet, *citt.* Molina *n. 2.* & Barbosa *n. 20.*

Neque, ut primò occurru videtur potest, huic inquisitioni & probationum receptioni adversari; quòd iudicialis cognitio Conservatoribus antè fuerit denegata; quia his ea denegata solum est, quoad ipsum damnum & iniuriam, sine casu, quò an iis, quibus Conservator datus est, damnum vi aut iniuriâ fuerit illatum, testium aliarumve probationum receptione investigatur: non notum quoad earum notorietatem, sive quòd an violentia & iniustitia læsionis aliquâ tergiversatione celari vel excusatione declinari valeat, aut secus, indagatur; cum enim Conservatoris iurisdictionis ad iniurias & violentias solum manifestas restricta sit, in earum notorietatem inquirere potest, ut intelligat, an illa adversus delinquentem earum auctorem valeat explicari; quia ei, cui commissa jurisdictionis

jurisdictione est, commissi in consequentiam censentur ea, sine quibus illa non potest explicari, e. *Præterea* 5. & *1. Cui jurisdictione* 2. ff. de *Jurisdictione*. *citt.* Anchoran. n. 5. Molina n. 2. & Barbofa n. 20.

103. Quando autem injuriæ aut violentiæ illatæ vel inferendæ notorietas explorata est, ejus authorem citare, eumque ad damni injustè illati reparationem & condignam satisfactionem exhibendam: aut, si injuria actu nondum illata, notoriè tamen parata & inferenda est, ad eam intermittendam per censuras Ecclesiasticas aliæque Juris remedia, invocato etiam, si opus fuerit, secularis brachii auxilio, compellere potest, *Glossa in c. 1. cit. V. Defendere* Sylvester n. 3. d. 4. & Barbofa n. 38.

104. Cavendum tamen Conservatoribus est; ne in officii sui executione modum excedant: & non solum, cum iniuriæ ac violentiæ notoriæ non sunt, se non intromittant: sed insuper Imprimis, quando contra Episcopos, justis ipsorum mandatis non parentes aut jurisdictionis usum malitiosè impediunt, procedendum est, propter dignitatis & officii Pontificalis reverentiam debitam, & c. *Quia Pontificali* *citt.* præscriptam moderatione utantur, Ita, quod eis primò ingressus ipsius Ecclesiæ vel Sacerdotalis interdicitur officium: ac deinde ab officio suspendantur, & subsequenter aggravetur censura Ecclesiastica contra eos (proferendò sententiam excommunicationis vel etiam interdicti in terras eorum, e. *Sanè* 11. Franc. *in c. Quia* *citt.* n. 4. & Barbofa n. 12.) Nisi forte aliter fieri, id est, sententiam excommunicationis statim proferri, suaserit nimia contumacia proferri, sive culpa. Deinde; ne de causis, ad quas jurisdictione ipsi concessa est, extra civitatem vel dioccesin, in qua deputati sunt, etiam de consensu partium

cognoscant, e. *fin. cit. §. Conservatores*. Neque refert; quod de expresso istarum consensu id permittum sit delegatis, e. *Statutum* 11. §. *Cum verò de Rescriptis*. *in 6.* quia de his id Jure expressum est: non etiam de Conservatoribus, ad quos tanquam magis odiosos & contra §. *Conservatores* *citt.* textum arguere non licet, *Glossa in §. cit. V. Presumant & ibi* Viavianus *in fine*. Præterea neminem ad judicium trahere possunt ultra unam diem à finibus civitatis vel diocesis, in qua Conservatores sunt deputati, §. *citt.* sicut de judicibus delegatis statutum est §. *Cum autem* *citt.* Demum, vices suas alteri committere & causam totam vel eius partem aut articulum aliquem (citatione & Sententiæ prolata denuntiatione duntaxat exceptis) subdelegandò, in alterum transferre non possunt; nisi hoc ipsis expressè sit concessum, e. *fin. cit. §. Vices*: licet hoc permittum sit summi Principis delegatis, e. *Pastoralis* 28. *pr. hinc c. Cum causa* 62. *de Appellat. §. 1. A* *judice* 5. *C. de Judiciis*. Ratio subdelegationis Conservatori inhibita est vel; quod eius industria electa videatur, ut locus sit e. *Is cui* 12. *in 6.* vel; ut jurisdictioni Ordinariæ minus præjudicetur, *Glossa in c. fin. cit. V. Nulli & Barbofa alleg. cit. n. 48.*

106. Ex dictis perspicuum est; quòd, licet Conservatores à Papa dati judices delegati sint: & ex justa causa istorum instar tanquam suspecti recusari, Franc. *in c. 1. cit. n. 5. & ibi* Dominic. n. 23. ab eis que rationabili causâ expressâ ad sedem Apostolicam appellari valeat, *Glossa in can. fin. V. Manifesta* 3. q. 5. & *in c. Romana* 3. *V. Mandetur de Appell. in 6.* quacum, rationabili causâ expressâ, recusationem & appellationem etiam in notorii admittunt, Gomez *Tom. 3. Var. cap. 1. n. 48.* Covarruv. *Prætic. cap.*

LIII 2 23. n.

23. n. 5. §. *Secunda* & Farinac. cit. q. 21. à n. 118. & à n. 130. inter ceteros tamen Delegatos & Conservatores Apostolicos notabiles differentia intercedunt;

107. Primò enim eiusmodi delegatus quilibet Ecclesiæ Cathedralis canonicus, c. *Statutum* cit. pr. Conservator autem esse nequit, nisi in vera dignitate constitutus, vel personatum in eiusmodi vel Collegiata Ecclesiâ obtinens, pr. c. *fin. cit.* Secundò, in diversis causis duo delegati: non etiam Conservatores esse possunt, pr. cit. iunctâ Glosâ *V. Conservator*. Tertiò, eòdem recusandi iure, delegati: non etiam Conservatores esse possunt, pr. cit. iunctâ Glosâ *V. Conservator*. Tertiò, eòdem recusandi iure salvò ad causam suam delegatum quis impetrare potest subditum suum, qui eius (Regia dignitate non præfulgentis) esse nequit Conservator, c. *cit. §. Nec aliquis*. Quartò, causam sibi commissam subdelegandò in alterum transferre valet à Papa aliòve Principe supremo delegatus, c. *Pastoralis* cit. pr. c. *Cum causa* cit. & l. *A iudice* §. *citt.* non etiam Conservator, §. *Vices* cit. Quintò pœnæ, in Conservatorem, in iniuriis non manifestis ac notoriis se intromittentem, §. *cit.* constituta, non afficiunt alium delegatum, potestatis suæ limites transgredientem, Glosa in §. *cit. V. Suspensi* cit. Azor cap. 34. q. 5. & Barbosa n. 6.

108. Non magis ab aliis sedis Apostolicæ delegatis ab eadem deputati Conservatores, quàm ab istis, in hæcenus declarata communis Juris forma datis, differunt Conservatores, quos, specialium indulgentiarum aut communicationis privilegiorum aliis concessorum vigore, sibi eligere valent quidam Ordines Religiosi; primò enim à Religiosis Ordinibus Mendicantium, præter personas, c. *fin. cit.* pr. relatas, in Conservatores suos eligi possunt Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum Canonici atque Archi-

& Episcoporum Vicarii in spiritualibus generales sive Officiales, ut ipsorum prærogativa & privilegia adversus personas communitates & Collegia quæcunque, etiam tamquam iudices Ordinarii, tueantur & conservent, ex *Constitutione* Pii V. in favorem Societatis JESU edita & confirmata per Gregorium XIII. *Constitutio* quæ incipit *Equum* edita 8. Calend. Junii 1572. Cuiusmodi sive iudices Ordinarii, potestatis amplitudinem ac perpetuitatem, etiam reputantur Conservatores Academicarum Salmantinæ in Hispania & in Lusitania Conimbricensis atque Burgenfis, cit. Molina n. 7. & Alphonsus Escobar de *Pontif. & Reg. jurisdict.* cap. 19. n. 5. quod tamen de Salmantina delegat, eiusque Conservatorem delegatum iudicem esse, ostendit Mendo de *Præ Academ. lib. 1. n. 515*.

Secundò, eorundem Mendicantium Conservatores in causis illorum, tam civilibus quàm criminalibus & mixtis, sive ii actores sive rei sint: nec solum in manifestis ac notoriis; ut c. 1. §. *fin. cit. pr.* sed in non manifestis quoque in judicalem cognitionem expolentibus summarie & sine strepitu ac figura iudicii procedere valent, ex *Constitutio* Gregorii XIII. cit.

Tertiò, ab iisdem assumpti Conservatores, contra §. *Vices* cit. dispensationem, subdelegandò vices suas non committere, itaque Subconservatores dare permittuntur, *Constitutio* cit. ut tamen ab huiusmodi Subconservatore causam ei commissam totam avocare valet Conservator; dummodo id faciat priusquam ille jurisdictione in se transferat, ut v. g. per citationem caperit, c. *Quamvis* 6. iunctâ Glosâ *V. Ille fuerit de Offi. deleg. in 6.* ut de delegato Apostolico supra dictum est n. 77.

Quartò, ab iisdem electi Conservatores

variores, contra §. *Ne aliquis* cit. textum, personas existentes extra civitatem vel diocesim, in qua pro Regularium tuitione deputati sunt, ad iudicium suum trahere valent: dummodo eas non trahant ultra duas dietas, *Constit. cit.*

Quintò, eorundem Mendicantium Conservatores, tam quoad presentia & jam capta, quam quoad nondum capta & futura negotia perpetuam habent potestatem & jurisdictionem; ut contra, quam c. *fin.* §. *Officium* cit. Statutum est, concedentis morte eorum iudicium, etiam quoad non capta negotia, non expiret, *Constit. cit.*

109. Cum speciali hoc Conservatorum, à Mendicantium Ordinibus assumptorum, jure non satis convenit; ei tamen nihil

officit decretum Concilii Tridentini *Sess. 14. cap. 5. de Ref.* cum; quia Gregorii Constitutio decretò illò Synodali posterior est: tum verò; quia istò Conservatores & literas Conservatorias Universitatum & Regularium non comprehendit, disertè habetur *cap. 5. cit. in fine.*

Postea tamen Gregorianæ illi alia **IIO.** rùmque, in Regularium favorem antè editarum, Constitutionum Apostolicarum dispositioni speciali multum derogatum est à Gregorio XV. *Constitut.* quæ incipit *Sanctissimus 20. Septemb. 1621. publicatâ,* cujus tenorem refert Barbosa *alleg. cit. n. 55.* eaque proditi, hodièque observandi Juris Conservatorum latam explicationem dat Pellizar. *Manual. Regular. cap. 8. à n. 81.*



TITVLVS XXX.

De Officio Legati.

SUMMARIUM.

1. Legati Apostolici quidam Judices,
2. Alii non - Judices sunt.
3. Judices vel à Latere,
4. Vel Nati,
5. Vel Missi, simpliciter vel cum potestate Legati à Latere:
6. Et omnes tres Provinciarum suarum Ordinarii sunt.
7. Inter eos eminent Legati à latere:
8. Qui jurisdictionem habent in Exemptos:
9. Absolvunt à Canonis,
10. Et aliis excommunicationibus reservatis:

11. Cum Ordinariis concurrunt in collatione beneficiorum,
 12. Nisi ista ad Ordinarios devoluta ab exemptis,
 13. Electiva, Juris patronatus laicalis ex fundatione,
 14. Vel litigiosa sint.
 15. Monocularia conferunt perinde, ut alia:
 16. Licet in provincia sua non existant.
 17. Non tamen conferunt extranea, licet collatio ad Provinciales:
 18. Provincialia conferunt, licet collatio ad extraneos spectet.
 19. Legatis non currit tempus ad conferendum:
- Ll ll ; 20. Et ser.